DE HIERONYMO DONATI DISCIPVLO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE IENENSI

RITE IMPETRANDOS

FRIDERICVS LAMMERT

SONDERSHVSANVS

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI MCMXII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Prof. Dr. Goetz.

Jena, den 2. März 1912.

Professor Dr. Judeich,
d. Z. Dekan.

PATRI · CARISSVMO

VIVO · OBLATVM

PAVCIS · DIEBVS · POST · MORTVO

PIO · ET · GRATO · ANIMO

FILIVS

D · D

TABULA ARGUMENTI

In Hieronymi patris ecclesiastici studia artis grammaticae inquirere ideo haud indignum visum est, quod opus illud aere perennius, quo eius auctoritas per saecula ad hanc aetatem pertinet, sanctae scripturae recensionem, quam Vulgatam dicunt, conficere non potuisset, nisi grammaticus fuisset eximius: unde spes exsistit fore, ut in eius libris vestigia huius artis haud spernenda inveniantur. Ipse et, quanti momenti ea interpretanti esset, cum his verbis se defenderet in libr. adv. Ruf. II 25. M. 23. 449 C **520**: 'aliud est enim vatem, aliud interpretem esse. Ibi spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia ea, quae intelligit, transfert,' et, quantopere aptus ad hoc negotium esset, sibi conscius erat; id quidem cognoscitur verbis cum magna fiducia tum iure prolatis in praef. in Iob M. 28. 1082 A/B, quae repetit in libr. adv. Ruf. II 29 M. 23. 453 A/B **525**: 'manifestiora nostra interpretatione fierent, qui et Hebraeum sermonem ex parte didicimus et in Latino paene ab ipsis incunabulis inter grammaticos et rhetores et philosophos detriti sumus' atque in l. adv. Ruf. III 6 M. 23. 462 A **537**: 'ego philosophus, rhetor, grammaticus, dialecticus, Hebraeus, Graecus, Latinus, trilinguis.' Quae cum ita sint, minime mirum est medii aevi homines doctos interdum artis grammaticae subsidia e patre ecclesiastico grammatico tam egregio petivisse velut glossarum copias sive tales annotationes, quales leguntur in codd. Monacens. Lat. 14 429 fol. 227[r] (cf. p. 5), in Bernensibus 83 (apud Hagenum Anecd. Helv. praef. p. CII; 175, 30; saepius) et 123, in arte anonyma Bernensi (ibid. p. 93, 15; 121, 15); apud Bedam (Gr. L. VII 252, 12; 281, 19 K.).

Hieronymus ter grammatici perillustris mentionem facit, cuius discipulum se fuisse tradit, A e l i i D o n a t i, cuius artes cum discipuli operibus per medium aevum, ut ita dicamus, regnabant. De aliis praeceptoribus, quod quidem ad artes attineat, nihil scimus, cum e numero patrum christianorum Apollinarium Laodicenum, Gregorium Nazianzenum, Didymum Alexandrinum magistros coleret. Neque pater ecclesiasticus, ut in scriptis praeceptorem saepissime respiciebat, eius exemplum imitari veritus ipse Bethlehemae pueros docuit Rufino in apol. l. II c. 8 teste, qui hanc operam pristino amico valde crimini dabat: 'quod in monasterio positus in Bethleem ante non multo adhuc tempore partes grammaticas exsecutus sit et Maronem suum comicosque ac lyricos et historicos auctores traditis sibi ad discendum dei timorem puerulis

exponebat, scilicet ut praeceptor fieret auctorum gentilium, quos si legisset tantummodo, Christum se negaturum iuraverat;' cf. Hier. ep. 22, 30.

Ex iis, quae protulimus de Hieronymo grammatico recte iudicari non posse apparet, nisi antea, quae ratio inter patrem ecclesiasticum eiusque praeceptorem intercedat, expositum erit. Simul dubium non est, quin loci Hieronymi in libris grammatici clarissimi altius cognoscendis alicuius momenti sint. Itaque Hieronymum cum praeceptore conferemus nonnullisque aliis auctoribus, qui ipsi quoque doctrina cum Donato cohaerent. Per totam commentationem hi libri usui fuerunt: Otto Zoeckler, Hieronymus. Sein Leben und Wirken. 1865; Georg Grützmacher, Hieronymus. Erste Hälfte: Sein Leben und seine Schriften bis zum Jahre 385. 1901; Aemilius Luebeck, Hieronymus, quos noverit scriptores et ex quibus hauserit. 1872.

Hieronymus scholas Donati a. p. Chr. n. trecentesimo quinquagesimo sexto frequentare coepit; nam in chronico ad hunc annum adnotat p. 195 c. Sch.: 'Victorinus rhetor et Donatus grammaticus praeceptor meus Romae insignes habentur, e quibus Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit;' qua in re Schoenio assentiri possumus, qui Hieronymum, quod tunc apud eum litteris operam dabat, hunc annum posuisse probat in libri, cui inscripsit Die Weltchronik des Eusebius in ihrer Bearbeitung durch Hieronymus (1900) p. 235. Praeterea se Donati discipulum fuisse profitetur in comm. in eccles. I M. 23. 1019 A. **390**: ''Huic quid simile sententiae et comicus ait <Eun. prol. 41>: 'Nihil est dictum, quod non sit dictum prius.' Unde praeceptor meus Donatus, cum istum versiculum exponeret: ''Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt'' et in apol. adv. libr. Rufini, qui ipse quoque Donati institutione usus erat, l. I 16. M. 23. 410 A. **472**: 'Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios, Volcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati aeque in Virgilium et aliorum in alios;' de hoc loco, quomodo intellegendus esset, I. A. Beckerus egit in programmate Moguntino a. 1870 p. 18. Num Romae apud alios quoque viros doctos litteras didicerit, velut apud Marium Victorinum, quem modo bis commemoratum legimus, de quo priores cogitabant, ignoramus; cf. Vallarsii Hieronymi vitae c. 2 M. 22, p. 15; Zoeckleri p. 29/31, imprimis p. 29 ann. 3; Luebeckii p. 223/24, ubi Victorini commentarium in Ciceronis dialogos et libros de orthographia Hieronymo notos fuisse videmus, Gruetzmacheri p. 118. Apud Donatum, opinamur, rhetorica quoque discere potuit, quorum quam innumerabilia in operibus Donati insint, scit quisquis legit; atque liber de arte rhetorica ei nunc

tribuitur secundum Rufinum rhet. lat. min. p. 583, 24 et 581, 19 H. et locum libri glossarum C. Gl. V, 175, 13 a Sabbadinio in Stud. ital. III. (1895) p. 339 adhibitum. Quae omittentes redeamus ad grammaticum. Nobis propositum est apud discipulum Donati praeceptoris vestigia indagare. Quod iam medii aevi temporibus litterarum periti egisse videntur: nam Hieronymum optimorum (cf. Keilii verba Gr. L. IV p. XL 'Qua aetate Donati liber scriptus sit, uno Hieronymo auctore constat') Donati testimoniorum fontem esse vel illius aetatis homo doctus cognovit, qui in codice Monacensi Lat. 14 429 glossariolum conscripsit in fol 222^{r} ad 226^{u}, ubi in fol. 223^{r} prodit: 'Donatus sub Constantino iuniore vixit' ex Hier. chron. p. 195 c. Sch.; cf. Gundermannum Mus. Rh. 46. (1891), p. 490. Eidem homini docto Gundermannus l. l. p. 492 excerpta grammatica folii 227^{r} tribuit, ubi ille nostrae operae, ut videtur, aliquatenus antecessor, Hieronymi grammatici sententiam proponit simulque de eius praeceptoris vita adnotationes adicit.

Notum est Donatum duas artes scripsisse, quae per medium aevum summam auctoritatem retinuerunt atque adhuc exstant. Praeterea ipso Hieronymo teste et in Terentium et in Vergilium commentarios edidit, de quibus infra accuratius agemus, ubi cum locis Hieronymianis conferentur. Nam haud pauca doctrinae Donatianae vestigia in Hieronymi libris exstare putamus, quae componentes ab artibus Donati initium faciamus. Congruunt autem cum locis artis minoris hi Hieronymiani:

1. Hier. in Os. 14, 1. l. 3. M. 25. 941 A. **156**: Pereat Samaria] Imperat igitur propheta et, ut verius dicam, optativo modo loquitur, ut Samaria pereat. Don. p. 360, 27 sq. de optativo loquitur; cf. Gr. L. IV. p. XXII.

2. Hier. ep. 20, 5, 1: Ad summam, sicuti nos in lingua Latina habemus et interiectiones quasdam, ut in exultando dicamus 'va' et in admirando 'papae' et in dolendo 'heu' et quando silentium volumus imperare, strictis dentibus spiritum coartamus et cogimus in sonandum 'st', ita et Hebraei inter reliquas proprietates linguae suae habent interiectionem. Don. p. 366, 15—17: Quia aut laetitiam significamus, ut 'evax', aut dolorem, ut 'heu', aut admirationem, ut 'papae' aut metum, ut 'attat', et siqua sunt similia.

Transimus ad artem maiorem:

1. Hier. de. nom. Hebr. M. 23. 799. **34**: H autem a plerisque aspiratio putatur esse, non littera; ibid. 841. **91**: Ut I litterae servemus ordinem, aspirationem H in plerisque omisimus: licet eam grammatici non putent litterae loco habendam. Don. p. 368, 9/10: h. interdum consonans, interdum adspirationis creditur nota; cf. v. 13; p. 392, 26; Serv. in Don. p. 424, 15. ibid. 369, 6: sequente h, quae plerisque ad-

spirationis videtur nota. Cod. Sangermanensis 1180 praebet exempla Verg. Aen. VIIII 609 et X 493.

2. Hier. in ep. ad. Ephes. 6, 24. l. 3. M. 26. 554 C. **684**: Unde et consuetudo et sermo vulgaris incorruptos virgines vocat. Don. p. 378, 30 horum multa cernimus consuetudine commutata. Don. in Andr. I 2, 16 = 187, 2: 'antehac' pro ante haec consuetudine quam ratione dicitur; ibid. III 2, 4 = 484, 1; V 4, 34 = 937, 2. in Eun. II 3, 67 = 358, 4: nam et pervulgatae consuetudinis est dictum 'feri canem foras.' in Adelph. III 3, 79 = 433, 3. in Hec. V 1, 35 = 761, 2 ibid. V 2, 4 = 770, 2; cf. Serv. Dan. in Aen. II 533.

3. Hier. in Os. 11, 1/2 l. 3. M. 25. 914 B. **122**: Et quia Israel singulariter quidem dicitur, sed pluraliter intelligitur: quomodo et populus et Ephraim et Iudas: siquidem in numero singulari multus est numerus, qui hoc numero continetur. Don. p. 376, 32: sunt quaedam positione singularia, intellectu pluralia, ut populus, contio, plebs. Don. in Adelph. IV. 4, 26 = 634, 1: vim pluralem habet 'aliquis', quamvis singulare videatur; non est enim aliquis nisi de multis. recte ergo 'aperite aliquis.' Serv. Dan. in Aen. II 64: *iuventus enuntiatione singulare est, intellectu plurale.* Serv. in Don. comm. p. 407, 31/32 K . . . ⟨ Aen. I 96 ⟩; cf. p. 431, 22 sq. Serv. in Aen. I 96: . . . sed 'gens' nomen est enuntiatione singulare, intellectu plurale . . .

4. et 5. Hier. ep. 25, 4: 'scire autem debemus, quia eloim communis numeri sit, quod et unus deus sic vocetur et plures, ad quam similitudinem caeli quoque apppellantur et caelum id est samaim; unde et saepe interpretes variant, cuius rei exemplum nos in lingua nostra habere possumus Athenas, Thebas, Salonas'. Similiter in Ierem. I 2, 12/13 M. 24. 691. C **847** et in Is. I. 2. l. 1. M. 24. 25. B. **10**. Ad priorem partem conferimus Donati verba p. 376, 24: 'sunt etiam nomina numero communia ut res, nubes, dies' ad posteriorem eiusdem p. 377, 1/2: 'sunt quaedam positione pluralia, intellectu singularia, ut Athenae, Cumae, Thebae, Mycenae'.

6. Hier. in Daniel. 11, 17. M. 25. 564 B. **710**: Filiam autem feminarum per πλεονασμὸν vocat, ut est illud poeticum: Sic ore locuta est ⟨Aen. I 614⟩, vocemque his auribus hausi ⟨Aen. IV 359⟩. — Don. p. 395, 3/4: Pleonasmos est adiectio verbi supervacui ad plenam significationem, ut 'sic ore locuta est' pro 'sic locuta est'. — Hos locos iam Luebeckius p. 224/25 inter se comparavit. Praeterea huc pertinet scholion Donatianum in Ter. Hec. III 3, 3 = 363, 2: . . . PROSPEXI HIS OCULIS An sic dictum est, ut apud Vergilium ⟨Aen. IV 359⟩? Serv. in Aen. I 614: pleonasmos sic vocemque his auribus hausi ⟨Aen. IV 359⟩, quod scholion inter ea invenitur, quibus in codice Mona-

censi 6394 (olim Frising. 194) notulae doñ vel doñ vel d̃ in margine adpictae sunt secundum Thilonem in ed. Serv. praef. p. LXXVI ann. 1. Serv. in Aen. IV 359: 'et est pleonasmos'. Contra idem in Aen. IX 317: ORE LOCUTUS non est perissologia. — Serv. et Serv. Dan. in Aen. II 524: ORE EFFATA abundat 'ore'. *est autem figura pleonasmos.*

7. Hier. ep. 78, 33. M. 22. 716. **489**: Sin autem 'sancta' interpretatur *κατὰ ἀντίφρασιν* est intelligendum: quomodo Parcae dicuntur ab eo, quod minime parcant, et bellum, quod nequaquam bellum sit, et lucus, quod minime luceat. — Don. p. 402, 3—5: antiphrasis est unius verbi ironia, ut bellum, hoc est minime bellum, et lucus eo, quod non luceat et Parcae eo, quod nulli parcant. V. Luebeckium p. 225 et ann. 1, ubi affert Charis. inst. gramm. I p. 276 K. et Quintilianum inst. or. I 6, 34. Apud Pompeium in comm. in art. Don. Gr. L. V p. 259, 37—260, 2 K. legimus: habes hoc in Probo: falsum est dicit, quod dicunt, verbum deponens esse ab eo, quod non deponat r litteram, quasi cata antiphrasin, quomodo dicimus Parcas ab eo, quod non parcant, quo modo dicimus lucum ab eo, quod non luceat; sic et deponens. — Serv. in Aen. I 22: et dictae sunt parcae *κατὰ ἀντίφρασιν*, quod nulli parcant, sicut lucus a non lucendo, bellum a nulla re bella; cf. Serv. in Aen. I 441.

Minime affirmaverimus neque hic neque in iis, quae sequentur Hieronymum Donati volumina evolvisse, ut harum rerum mentionem faceret — neque Donati artes commemorat —; immo talia apud praeceptorem didicisse, ut per vitam quasi sua teneret. Sane etiam apud alios grammaticos similia occurrunt, velut in exemplo septimo Pompeio teste apud Probum; tamen vel in his minutiis melius cum praeceptore congruit. Scholae exempla semper vigent: iisdem uterque utitur sub nr. 3 'populus', sub nr. 5 'Athenae, Thebae', quibus Hieronymus Salonas addit, patriae urbem, sub nr. 6 versu Vergilii Aen. I 614. Exempla pleonasmi et antiphraseos ex iis, quae adnotavimus, etiam e Donati in Vergilium commentario, quem Hieronymus certo legit, delibari potuisse constat.

Hac igitur parte absoluta porro progredimur pro explorato habentes, vestigia Donatianae doctrinae apud discipulum huius grammatici latere, atque spe elati etiam plura nos reperturos esse in operibus, quae se legisse Hieronymus aperte profitetur verbis, quae e libr. adv. Ruf. I 16 in p. 4 exscripsimus. Obviam se dant legenti nonnulli loci inter se congruentes. Primo loco ponuntur

I. loci, qui ad certos Terentii versus referri possunt:

1. Hier. in praef. libr. Hebr. quaest. M. 23. 935 A. **301**: Qui in principiis librorum debebam secuturi operis argumenta proponere, cogor

prius respondere maledictis, Terentii quippiam sustinens, qui comoediarum prologos in defensionem sui scenis dabat. Urgebat enim eum Luscius Lanuinus, nostro Luscio similis, et quasi publici aerarii poetam furem criminabatur. — Don. in Andr. prol. 1, 4: Proposuerat quidem poeta noster, ut in prologis argumenta narraret, sed hoc imputat Luscio Lanuvino adversario, qui eum non permisit facere quod proposuerat, maledictis suis ad respondendum eundem provocans.

2. Hier. ep. 57, 5, 1: Faciuntne intelligendo ut nihil intelligant ⟨Andr. prol. 17⟩ et dum alienam imperitiam volunt coarguere suam produnt; cf. in Matth. 15, 17/18 l. 2. M. 26. 108 C **114**: Sed istiusmodi homines, dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam. — Don. in Phorm. prol. 6, 2: *Et*† callide errori reprehendentis, sed etiam imperite scribere ostendit Luscium Lanuvinum.

3. Hier. ep. 130, 11. M. 22. 1116. **988**: Philosophorum quoque sententia est μεσότητας ἀρετάς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι, quod Latinus ita potest sermo resonare, moderatas esse virtutes, excedentes modum atque mensuram inter vitia reputari. Unde et unus de septem sapientibus ʻne quid' ait ʻnimis'. Quod tam celebre factum est, ut comico quoque versu expressum sit; cf. ep. 108, 20; in eccles. c. 7. M. 23. 1067 A. **443**. — Don. in Andr. I 1, 34 = 61, 2: UT NEQUID NIMIS sententia non incongrua servo quia et pervulgata. et non refertur ad personam modo dicentis, sed† de quo dicitur (quotidie scr. Rabbowius); cf. Eugr. in h. l. et Servium in Aen X 861 praeter Don in Ad. 698. Duobus locis, quibus seriei initium facimus, haud ita multum tribuimus, cum uterque Terenti versus non tam aliquo modo illustret, quam aliis verbis eadam proferat. Neque e verbis Hieronymi, quibus Donatum superat ʻUrgebat-criminabatur' quicquam efficere audemus. Maioris momenti sunt, quae sequuntur. Donato, Eugraphio, Servio consentientibus videmus apud Donatum, quo iure a poeta servulo sapientia tributa sit accuratius quaesitum esse. Putamus Hieronymum talis quaestionis memorem fuisse, cum hanc sapientiam vel ad comoediam pervenisse significaret.

4. Et Donatus et Hieronymus reicit sententiam Terentii: ʻObsequium amicos, veritas odium parit' ⟨Andr. I 1, 41 = 68⟩. Hier. in ep. ad Gal. 4, 15/16. l. 2. M. 26. 382 C. **462**: Similis est huic illa sententia nobilis apud Romanos poetae ʻObsequium . . . parit.' Sed vide quanto hic melius, quam ille; apostolus enim his, quos stultos dixerat, quos parvulos appellarat, hanc sententiam temperavit et specialem fecit: dum proprie ad personas Galatasque direxit. Ille vero et generalem, et ita se apud omnes habere denuntians, vehementer erravit. Obsequium enim, quo putavit amicos fieri, veritate dempta, non tam obse-

quium est, quam adulatio et assentatio: quas clandestinas magis inimicitias, quam amicitias dici debere perspicuum est. — Don. in Andr. I 1, 40 = 67: improbatur a sapientibus haec sententia, nam obsequium adsentator debet, amicus veritatem; sed in theatro dicitur, non in schola. In v. 41 = 68, 1: huius versus pars improbior est 'veritas odium parit'. falsum est autem, quod Cicero ⟨Lael. 24, 89⟩ putat 'obsequium' primo dixisse Terentium, cum et Plautus et Naevius ante dixerint. 2. *Et est* sententia παράδοξος et magis theatro apta, quam officio, de qua Tullius multa dicit. 2. OBSEQUIUM A. V. O. P. ἀμφίβολος sententia et probabilis magis, quam necessaria aut honesta; cf. in Hec. II 3, 1 = 274, 3. De eodem enim versu Cicero in Laelio verba facit; Hieronymus magis cum Donato congruit, quae similitudo infra p. 21/22 accuratius tractabitur, ubi etiam de insequenti p. 22, verba fient.

5. Hier. adv. Iov. I 48. M. 23. 279 C. **317**: In Lepti urbe semibarbara et posita in solitudine moris est, ut nurus altera die socrum ollam mutuam postulet. Cui illa statim negat: ut scias illud verum esse Terenti, quod consulto ambigue extulit:† 'Quid est hoc? omnes socrus oderunt nurus' ⟨Hec. II 1, 4⟩. — Don. in h. l. = 201, 2: necessaria sententiae amphibolia ad describendam utramque personam. Donatum iam Luebeckius contulit p. 114 ann. 1.

6. Hier. ibid: . . . Et noster comicus fortunatum putat, qui uxorem nunquam duxerit. — Don. in Adelph. I 1, 18 = 43, 4: quidam putant sic pronuntiandum 'et quod fortunatum isti putant uxorem' et haec bona et concinnata locutio est. ibid. 43, 2: ET QUOD FORTUNATUM ISTI PUTANT Romani scilicet, qui caelibem quasi caelitem dicunt, et item Graeci, apud quos sunt huiusmodi sententiae eqs.; cf. 3 et 5. Eandem etymologiam verbi 'caelebs' Hieronymus praebet in l. adv. Iov. II 37. M. 23. 336. A. **381**: 'caelibes — unde et ipsum nomen inditum est, quod caelo digni sint, qui coitu careant'. Invenitur autem in numero earum, quas Quintilianus in inst. or. I 6, 36 irridet, ubi Gavio Pontio ascribitur. Nihilo setius redit apud Donatum eiusque discipulum; cf. Festum Pauli p. 44, 5 M. — Plures accedunt

II. loci, qui nihil facientes ad certa Terenti verba simile quid continent atque Donati versuum Terenti interpretationes:

7. Hier. in Ioel I 4. M. 25. 952 B. **171**: Aegritudinem animi dicimus, alioquin corporis non aegritudo, sed aegrotatio nominatur. — Don. in Andr. I 2, 22 = 193: AEGROTUM pro aegro, nam animus aeger, corpus est aegrotum. Serv. Dan. in Aen. III 140: '*aegra' autem aegrota. et bene addidit 'corpora', quia et animus aeger potest esse.* in Aen. IV 35: '*aeger' enim animo dicitur, 'aegrotus' corpore;* cf. Serv. in Aen. I 208; item Ciceronem in Tusc. III (10) 22/23; Probi de nomine

excerpta Gr. L. IV. 211, 32 K. Quam differentiam quamvis crebra sit, cur omitteremus, plane non vidimus; optime se ingerit in seriem Ciceronis, Donati, Hieronymi similitudinum, de qua p. 22 sq. loquemur.

8. Hier. adv. Pelag. I 21. M. 23. 514C/515A **717**, ubi disciplinae enumerantur: medicinam etiam, quae in tria dividitur *δόγμα, μέθοδον, ἐμπειρίαν*; cf. in Is. 38, 21/22. l. 11. M. 24. 396. C. **475**: non spernendam esse medicinam, quae usu constet et experimento. — Medicinalia deprehendimus saepius apud Donatum e. gr. in Andr. 483, 3; 485; in Eun. 515, 1; apud Hieronymum in ep. 52, 15, 2; in Naum II 10 M. 25. 1250 C/D **558** et III 1 sq. ibid. 1255 B. **564**; in Is. 51, 17 sq. l. 14. M. 24. 491 B/C **596**.

9. Hier. in ep. ad. Philem. 1 sq. M. 26. 603 B **746**: ne mu quidem, ut dicitur, ante hanc diem in eum facere ausus; ep. 12, 3: cum tu ne muttum quidem facere dignaris. — Don. in Andr. III 2, 25 = 505, 3: NIHIL IAM MUTIRE Ennius ⟨inc. l. fr. 9. V[2]⟩ nec dico nec facio ⟨mu⟩ — *unde et mutos dicimus* — quod Graeci *φθέγγεσθαι*. — Accedunt loci de verbo ‘mussitare’: Don. in Ad. II 1, 53 = 207: . . . mussitare enim proprie dissimulandi causa tacere est . . . hinc Vergilius ⟨Aen. XII 657⟩ . . . — Eugr. in h. l. Terentii: MUSSITANDA . . . tacenda *etiam* et animo continenda, *ut*. . . . Serv. Dan. in Aen. XII 657: MUSSAT modo dubitat. *et cunctatur rex ipse in quo summa rerum est. veteres ‘mussat’ pro ‘timet’, Ennius ‘mussare’ pro ‘tacere’ posuit. Clodius Tuscus eqs.* idem in georg. IV. 188: . . . *quae vox ponitur et in tacendi significatione, ut apud Ennium eqs.* De eadem enuntiatione agens Varro quoque in libr. de l. l. p. 120, 1/4 G.-Sch. similem Ennii locum affert ⟨fr. inc. 10 V[2]⟩. Statim adiunximus de verbo ‘mussitare’ testimonia, quae pertinent ad locum sub nr. 18 notatum: hic quoque a plerisque Ennius adhibetur atque simul summi momenti inter Donatum et Servium Danielis similitudinem nanciscimur. Donatus in Ad. 207 de huius vocabuli etymologia disputans exemplo utitur versu Aeneidos, ad quem Servius Danielis de eadem re agit. Serv. Dan. in Aen. XI 345 post Servium: *alias ‘tacent’, alias ‘quiescunt’*.

10. Hier. in ep. ad Ephes. II 3, 12 M. 26. 484 C **596**: Magnum est ergo non solum nos habere fiduciam, sed etiam habere eam in confidentia. — Don. in Andr. V 3, 5 = 876, 2: Ergo confidentia interdum in mala significatione, interdum in bona significatione ponitur; cf. in Phorm. I 2, 73. Serv. in Aen. I 132: et hoc loco fiduciam pro confidentia posuit, cum fiducia in bonis rebus sit, confidentia in malis; exscr. Isid. diff. verb. 217; cf. Serv. Dan. in georg. IV 444, ubi versus Andriae affertur.

11. Hier. in ep. ad Gal. III 5, 22 M. 26. 419 A/B **510/11**: In se-

cundo spiritualium fructuum loco gaudium positum est, quod Stoici quoque, qui distinguunt inter verba subtilius, aliud quid esse existimant, quam laetitiam. Gaudium quippe esse aiunt elationem animi super his, quae digna sunt exsultantis; laetitiam vero effrenatam animi elationem, quae modum nesciat et in his quoque, quae vitio sint mixta, laetetur ... — Vestigia apud Donatum exstant in Andr. V 4, 41 = 944: VOLUPTATI OBSTARE nunc laetitiae et gaudio. V 4, 43 = 946, 3: *ET* GAUDERE supra ⟨939, 2⟩ adnotavimus: nostris gaudere, alienis gratulari. Sallustius ⟨hist. I. fr. 89. M.⟩ ... plus est ergo gaudere, quam laetari. Hieronymus congruit cum Cicerone in Tusc. IV 6, 13; cf. p. 22 sq.

12. Hier. ep. 133 (b), 1. M. 22. 1148, **1026**: ... quae de philosophorum et maxime Pythagorae et Zenonis principis Stoicorum fonte manarunt? Illi enim quae Graeci appellant πάθη, nos perturbationes possumus dicere: aegritudinem videlicet et gaudium, spem et metum: quorum duo praesentia, duo futura sunt, asserunt extirpari posse de mentibus, et nullam fibram radicemque vitiorum in homine omnino residere meditatione et assidua exercitatione virtutum eqs. ... affert Verg. Aen. VI 733/34, quos versus saepissime apud Hieronymum legimus; similiter loquitur in Ioel I 4 M. 25. 952 B-D. **171/72**, in Zach. I 18, 19 ibid. 1429 A/B **792**, in Ez. I 7 l. 1. ibid. 23 B/C **12**: Audisse me memini quatuor perturbationes, de quibus plenissime Cicero in Tusculanis disputat, gaudii, aegritudinis, cupidinis et timoris, quorum duo praesentia, duo futura sunt, per quatuor significari animalia, de quibus et Vergilius breviter ⟨VI 733⟩ ... — Iisdem versibus eadem in re Donatus utitur in Andr. V 4, 34 = 937, 3: duo carnifices futurarum rerum: spes et metus, dolor enim et gaudium praesentium rerum intelleguntur: ⟨Vergilii Aen. VI 733⟩. — Serv. in h. l.: HINC METUUNT CUPIUNTQUE DOLENT GAUDENTQUE ex corporis coniunctione et hebetudine. Varro et omnes philosophi dicunt quattuor esse passiones, duas a bonis opinatis et duas a malis opinatis rebus; nam dolere et timere duae opiniones malae sunt, una praesentis alia futuri: item gaudere et cupere opiniones bonae sunt, una praesentis, altera futuri eqs. — In numero vero philosophorum, qui apud Servium commemorantur, Cicero exstat, qui in l. IV Tusc. 5, 10 et 6, 11 de perturbationibus scribit. Hic locus arte conexus est cum eo, quem modo tetigimus sub nr. 11, ubi iidem, Hieronymus, Donatus, Cicero inter se congruunt, qua de re agemus p. 22 sq.

13. Hier. in Ion. II 1 M. 25. 1131 A **405**: In Hebraico autem 'piscem grandem' legimus, pro quo septuaginta interpretes et dominus in evangelio cetum vocant, rem ipsam brevius explicantes. In Hebraico

enim dicitur DAG GADOL, quod interpretatur piscis grandis; haud dubium, quin cetum significet. — Don. in Eun. II 2, 26 = 257, 5: CETARII qui cete *id est magnos pisces* venditant et bolonas exercent; cf. Eugr. in h. l.; schol. Bemb. p. 99, 16 Schl.: cetus est genus marinae beluae. Serv. Dan. in Aen. III 3: ... *cetos id est beluam marinam* ..., cf. Serv. in Aen. V 822. C. Gl. IV p. XLII: Coetus bistiae marinae id est pisces crandis. V 445, 36: Cętus bestia marina id est piscis grandis. Eugraphii locum una cum ceteris, quibus congruit, cum glossis Wessnerus comparavit in M. Rh. 62 (1907) p. 225/26.

14. Hier. in ep. ad. Gal. III 5, 19—21 M. 26. 416 C **507**: Inter iracundiam autem et iram hoc interest, quod iracundus semper irascitur, iratus pro tempore concitatur; cf. in ep. ad Tit. I 7 M. 26. 566 C **699**: Neque vero, qui aliquando irascitur, iracundus est: sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. — Don. in Phorm. I 4, 12 = 189, 5: nam ira de causa est, iracundia de moribus; in Ad. IV 7, 37 = 755, 2: *Et* bene 'iracundiam'; nam ira de causa est, iracundia de vitio multum irascentis; V 3, 8 = 794, 2: *Et* ira de causa est, iracundia de moribus; cf. Cic. Tusc. IV 27.

15. Hier. in Ierem. IV 20, 1/2 M. 24. 803 B/C **977**: Pro Phasur Septuaginta transtulerunt Phascor, qui interpretatur oris nigredo, et pro nervo, quem nos diximus, Septuaginta et Theodotio vertere cataracten, Symmachus *βασανιστήριον* sive *στρεβλωτήριον*, quod utrumque tormenta significat. Nos autem nervum diximus more vulgari, quod tormenti genus etiam in actibus apostolorum legimus. Cf. C. Gl. IV 89, 60: In neruo in cataracta. — Don. in Phorm. II 2, 10 = 324, 5: 'ex consuetudine Romana dixit, quia saepe in nervum coniciebantur ex aliquo maleficio in carcerem missi'; item schol. Terent. p. 131, 30—32 Schl. Sed aliter explicatur in scholiis, quae sequuntur 6, 7, 8 et apud Schleeium, schol. Ter. p. 131, 29; cf. Otto, Sprichw. s. v. nervus. Ex Hieronymi testimonio scholion 324, 5 Donato tribuimus; nam si illa aetate hoc verbum in ore vulgi erat, non dubitamus, quin Donatus hac significatione usus versum Terentii recte interpretatus sit. Donatus haud raro sic sermonis vulgaris rationem habet; locos collegimus: in Andr. 430, 2 cum illa manere; 728, 2 iuramentum; in Eun. 79 calamitatem rustici grandinem dicunt ..., cf. in Hec. 2, 3 cum nomine Probi; 358, 4 feri canem foras; 751, 1 hoc in comoedia licet more vulgi dicere; ceterum non potest amitti, quod nondum acceptum sit; in Ad. 660, 3 a mane; in Hec. 238, 3 'oppido' translatio a rusticis; in Phorm. 256, 2 vulgo 'omnia recte?' et deest 'quaeris' aut quid tale; 318, 1 inter rusticos de aleato mortario dici solet.

16. Hier. in Ierem. 27, 9 sq. l. 5 M. 24. 851 C **1034**: et divinos, de quibus et vulgare proverbium est: Aiunt divinare sapientes. — Don. in Hec. IV 4, 74 = 696, 1: PLANE HIC DIVINAT NAM ID EST. 'divinat' dixit, pro 'verum dicit'. 2. *Et nota 'divinat' de praeterito dictum* — inde proverbium 'aiunt divinare sapientem', quia, qui dicit verum, divinus est. V. Otto Sprichw. p. 308 s. v. sapiens 2. Quem locum Hieronymi ex eo praecipue scholii Donatiani memoriae deberi colligimus, quod haud ita bene inter verba patris ecclesiastici insertus esse videtur. Otto l. l. praeter Donatum neminem affert, neque alio loco nisi apud praeceptorem et discipulum hoc proverbium reperire potuimus.

17. Ethologica, quae dicimus, tam apud Donatum invenimus, quam apud Hieronymum: Hier. ep. 69, 9, 2: non litigiosum, non avarum: nihil enim impotentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant et parati semper ad lites in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. — Don. in Ad. 136, 3: 'rusticani stomachi est repetere semper verba, quae invitus audierit'; porro de rusticis loquitur in Ad. 573, 1. 842, 3; in Eun. 531, 532; in Phorm. 48, 2; praeterea huc pertinent e. gr. in Andr. 245, 1. in Ad. 742. — Adnectimus nonnulla huius disciplinae exempla ex Hieronymo prompta: in Ion. I 6 M. 25. 1125 C **398**: Naturale est unumquemque in suo periculo de alio plus sperare; in Ez. IV 16/17 l. 1 M. 25. 50 B **46**. in Amos 1, 2 l. 1 M. 25. 993 A **224**. in vita Pauli c. 5 M. 23, 21 A **5**: ut est cupiditas hominum occulta cognoscere; in ep. 54, 9, 5: comicus, cuius finis est humanos mores nosse atque describere.

18. Satis incaute Luebeckius p. 106 ann. 3 affirmasse videtur verbum 'mussito', quod apud Hieronymum saepe occurrit e Plauto desumptum esse, quippe quod crebro in eius fabulis legeretur. Quod hic commemoro, cum Hieronymi praeceptor in comm. in Ter. Ad. v. 207 de huius verbi etymologia accuratius disserat. De hac similitudine supra p. 10 verba fecimus.

19. Hier. in Amos III 3 sq. l. 1 M. 25. 1015 B **253**: et avis captae ab aucupe, ibid. 1016 A **254**: ut . . . et teneantur ab aucupe, qui melius dicitur ἰξευτής, eo quod haerent visco, aves liberas capiat, quae propria voluntate ad terrena descendunt. — Don. in Ad. II 2, 12 = 220, 4: *μεταφορά* ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum cf. Plauti Asin. v. 216. III 3, 49 = 403: METUI NE HAERERET HIC et haec translatio, ut sublevat Ctesiphonem ita Aeschino invidiosa est; nam haeret avis non animo nec voluntate, sed visco decipientis aucupis.

20. Item ea Donati doctrinam redolent, quae Hieronymus de ver-

borum pudendorum usu tradit in Is. 47, 1 sq. l. 13 M. 24. 455 B **550**: Disputant Stoici multa re turpia prava hominum consuetudine verbis honesta esse, ut parricidium, adulterium, homicidium, incestum et cetera his similia. Rursumque re honesta nominibus videri turpia, ut liberos procreare, inflationem ventris crepitu digerere, alvum relevare stercore, vesicam urinae effusione laxare, denique non posse nos, ut dicimus, a ruta rutulam sic ὑποκοριστικὸν mentae facere. — Don. in Ad. 284, 3: TU CUM ILLA TE INTUS OBLECTA honeste explicavit turpe dictu; Andr. 483, 1: ... ne pudenda nominaret. Serv. et Serv. Dan. in Aen. IV 23: bene inhonestam rem sub honesta specie confitetur, dicens se agnoscere maritalis coniugii ardorem: *hoc est, quo mariti diligi solent; nam erat meretricium dicere: in amorem Aeneae incidi;* cf. Ciceronem in ep. ad fam. IX 22. V. Luebeck. p. 158.

21. Hier. in dial. adv. Pelag. I 8 M. 23. 502 B **701**: τῇ δυνάμει ... τῇ ἐνεργείᾳ, paulo post c. 9 ibid. C/D **702**: ... Inter Diodorum et Chrysippum valentissimos dialecticos περὶ δυνατοῦ ista contentio est. Diodorus id solum posse fieri dicit, quod aut sit verum, aut verum futurum sit. Et quidquid futurum sit, id fieri necesse esse. Quidquid autem non sit futurum, id fieri non posse. Chrysippus vero et quae non sunt futura posse fieri dicit: ut frangi hoc margaritum etiam si id nunquam futurum sit; in ep. 53, 3, 1: mollis cera et ad formandum facilis etiamsi artificis et plastae cesset manus, tamen δυνάμει totum est, quidquid esse potest. — Don. in Ad. IV 1, 14 = 530, 2: hic de facto quaestio est, in qua quidam disputant quaedam tunc possibilia intellegi, cum facta sint; cum autem non fiant, non modo non fieri, sed ne possibilia quidem esse dicenda: qui locus περὶ δυνατῶν dicitur; adde in Andr. IV 3, 1 = 716, 4: quod enim non fuit, ne esse quidem potest ... De hoc loco v. p. 23.

22. Hier. tract. de ps. 143. Anecd. Mareds. III 2. 284, 7: cellarium proprie dicitur, quod divitias conpositas habet. Don. in Ad. IV 2, 13 = 552, 3: *Et* mire, ut reclusum tutumque locum subiret, cellam scilicet, quam ob ea, quae in ipsa celantur clausam esse conveniat; nam et cella et cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur. Serv. in Aen. I 433: CELLAS ... traxit autem a reponendi similitudine, vel a celando, unde cellam appellaverunt. Varro de l. l. p. 49, 18 G.-Sch.: ‘ubi quid conditum esse volebant, a celando cellam appellarunt’. Sane Hieronymus non plenam etymologiam profert; tamen manifeste eidem alludit, quam grammaticus docet.

23. Don. in Ad. IV 4, 26 = 634, 1 p. 6 contulimus sub nr. 3.

Subiungimus Hieronymi cum Donato similitudinem e Chronicis, quae

hic atque in parte, qua de Serviis agemus, respicienda sunt, depromptam, quamquam unde praeceptor hauserat — v. vitae Ter. c. 8 'Haec Suetonius Tranquillus' — inde etiam discipulum transferre potuisse non ignoramus, ex Suetonii libris de viris illustribus, quibus in Eusebii opere supplendo sanctum presbyterum usum esse scimus ex ipsius testimonio, quod legimus in praef. in Chron. p. 3, 6—8 Sch.: 'A Troia autem usque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quae de Tranquillo et ceteris inlustribus in historicis curiosissime excerpsi'. Locos Suetonii libro de poetis attribuendos Mommsenus praebet in script. coll. VII. script. philol. (1909) p. 614/15 = Abh. acad. Sax. litt. Lips. I (1850) p. 677. Hier. in chron. in a. 158. Sch. p. 127 g: Publius Terentius Carthaginiensis comoediarum scribtor ob ingenium et formam libertate donatus in Arcadia moritur. Qui primam Andriam, antequam aedilibus venderet, Caecilio multum se miranti legit; cf. vita Terentii 1, 3, 5.

Tertio loco annectimus nonnulla, quae non tam ad singulos locos, quam ad universum interpretandi docendique modum pertinent. Ad hanc partem postea, ubi de Servio Danielis et de Pseudasconio agetur, identidem delegemus necesse erit. Hier. in Abacuc 2, 5 sq. l. 1. M. 25. 1293 B **613**: 'Simulque considera, quam eleganter multiplicatas divitias densum appellaverit lutum'. Talia haud raro apud Hieronymum leguntur. Eadem ratione scriptoris, quem explicat, laudandi et defendendi Donatus utitur e. gr. in Andr. 230, 2: Sed mire; 297, 2: *Et* mire; in Eun. 694: haec Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio; sed mire a Terentio proferuntur ad eius exemplum et, quod est plus, carent Plautinis nugis. in Ad. praef I 9: Terentius . . . artificis poetae per totam fabulam obtinet laudem; 539, 1; 541, 1: sapientissime; 794, 1: in Phorm. 735: docte. Apte hic conferimus ipsius Hieronymi de commentatoris officio verba ex ep. 49, 17, 7: commentatoris officium est non, quid ipse velit, sed, quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere; alioquin, si contraria dixerit, non tam interpres erit, quam adversarius eius, quem nititur explanare.

Saepissime et apud Hieronymum et apud Donatum occurrunt annotationes, quae ad artem rhetoricam spectant velut de modo pronuntiandi: Hier. in Abacuc I 6 sq. l. 1 M. 25. 1279 C **596**: haec est fortitudo eius Dei sui] *εἰρωνικῶς* est legendum, ut sit sensu . . .; in ps. 72. A. M. III 1, 59, 21: cum *ἐνφάσει* legendum: Tam grandia eqs.; in Is. 39, 3 sq. l. 11 M. 24. 399 A. **478**: quod cum *ἐμφάσει* et supercilio legendum est; in Is. 14,9 l. 5. 161. B **177**: haec *ἐμφατικῶς* legenda sunt et scenae modo; in Ierem. 8, 18 l. 2 M. 24. 740 B **903**: *ἐμφατικῶς* autem haec ex persona dei legenda sunt plangentis . . .; in Is. 17, 10. l. 5

M. 24. 176. C **196**: hoc pressius et per ironiam legendum; in Is. 36, 11 l. 8 M. 24. 298 A **350**: et hoc pressius voce interrogantis legendum est; in Ierem. II 8, 12. M. 24. 738 C **901**: *ἐρωτηματικῶς* hoc est legendum; alibi sescenties. Don. in Andr. 196, 1. in Ad. 161, 1; 214, 4: cum emphasi ʻadulescenti' pronuntiandum, scilicet, qui facile assensione caperetur; 265, 3: oportet autem ʻmen quaerit' cum quadam gesticulatione et subsaltatione pronuntiari sperantis lenonis ad hoc se quaeri, ut accipiat; 220, 1; 280, 2: et totum cum supercilio praestantis magnum beneficium dicit; 285; 499, 1; 686: et tota pronuntiatio in huiusmodi verbis submissa esse debet; 813, 1; 924, 3; 949, 3; in Hec. 76, 5: haec omnia et submissa et veloci pronuntiatione afferenda sunt; hoc enim desiderant huius modi verba utpote et servi et festinantis; 85; 98; 108; 136, 1, 2; 189, 3; 439, 2; 504, 3; 516, 3; 570, 3: quod si accipimus possumus et nos interrogative pronuntiare; 595, 1; 612, 3, 4; 619, 2; 621, 2; 640, 3; 671; 689; 745, 3; in Phorm. 56, 2: hoc qui interrogative pronuntiaverit, parum belle explicat conceptam sententiam; 61, 1; 145, 2; 162, 2; 163, 1; 219, 1; 950.

Pater ecclesiasticus, quamquam se artem rhetoricam omittere non desinit affirmare, semper in libris praecepta secutus est, quae in schola, fortasse, ut vidimus in p. 4/5 apud Donatum, didicerat: cum hanc artem plane reiciat e. gr. in Soph. 3, 14 sq. M. 25. 1384 C **730**: ... non me controversias et declamationes scribere nec in locis exsultare communibus, sed commentarios ..., in ep. 49 (48) 14, 1: et haec dicerem, si vincendi studio contra regulam scripturarum quippiam locutus fuissem et sicut viri fortes in controversiis solent facere culpam praemio redimerem; cum Rufino obiciat adv. Ruf. III 21 M. 23. 473 A. **551**: ʻ... arte ludis rhetorica, et simulas te praeterire, quae dicis, ...', legimus in ep. 52, 1, 1/2: ... scripsi ad avunculum tuum, sanctum Heliodorum, exhortatoriam epistulam plenam lacrimis querimoniisque et quae deserti sodalis monstraret affectum. Sed in illo opere pro aetate tunc lusimus et calentibus adhuc rhetorum studiis atque doctrinis quaedam scholastico flore depinximus; cf. l. c. Ioa. Hierosol. 2. M. 23 356. B **409**. Atque in ep. 77 ʻscholae memor' (cf. c. 2) etiamque magis in ep. 60 tam accurate consolationis praecepta praeposuit, ut haec epistola magni momenti fuerit ei, qui praeclare de hoc orationum genere egit in Stud. Lips. IX (1887) p. 1—170, Carolo Buresch. Unde Hieronymi opera plena sunt rhetoricorum, velut ep. 6, 1, 2: oratorio more post argumenta testes vocabo; adv. Pelag. I 14 M. 23. 506 D **707**: nullus oratorum tumor, quorum definitio est dicere ad persuadendum accommodate; in ep. 49 (48) 13, 1: didicimus, plura videlicet esse genera dicendi et inter cetera aliud esse *γυμναστικῶς* scribere, aliud *δογματικῶς* eqs.; in

Ephes. I 1, 10. M. 26. 454 B/C **557**: de *ἀνακεφαλαιώσει* cf. adv. Iov. I. 22. M. 23. 241 A **272** — atque etiam in interpretationibus doctrinam rhetoricam usurpat e. gr. ep. 65, 8, 1: Finito prohoemio, hinc narrationis exordium est, et fit apostropha ad ipsum amantissimum..., ibid. 11, 1: ... ne quis id ipsum vitio librariorum repetitum putet. Et est figura, quae apud rhetores repetitio nominatur. More ergo panegyrici, quo laudatores loquuntur ad eos, quos praeconiis efferunt, armatum cohortatur ad proelium; in eccles. IX M. 23. 1083 A **460**: '*προσωποποιΐαν* facit more rhetorum et poetarum' et similiter in Mich. I 6 sq. l. 1 M. 25. 1157 A **438** et in Is. 23, 4 l. 5 M. 24. 202 A. **228**.

Idem autem est mos praeceptoris: v. in Andr. 820, 2: haec veluti quaedam controversia est, namque iniuriarum reus fit Simo; 910, 1; in Ad. 341; 410; 929, 1: incipit a persuasione, sed latenter, ita ut ea quae proposito consilio dicenda erant, ante demonstravit quam dicat, quid fieri velit eqs. considera adeo apud Vergilium ⟨Aen. V. 606 sqq.⟩; cf. Thilo. ed. Serv. p. XXII ann. 2, ubi similia affert e Servio Danielis, e. gr. in Aen. I 664, et e Servio; in Hec. 28, 2; 59, 1; 65, 1; in Phorm. 272, 3; 282, 3; 348, 1; 451; 452; 453; 990.

Ad oratorem aliquatenus iuris scientia pertinet, cf. in ep. ad Gal. I 2, 11 sq. M. 26. 340 B **408**: 'Aliquoties, cum adolescentulus Romae controversias declamarem et ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia iudicum.' Et nomina hominum iuris peritorum et iuris, ut ita dicamus, fragmenta apud patrem sanctum invenis: in ep. 77, 3: Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi: aliud Papianus (scil. Papinianus), aliud Paulus noster praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur: et solo stupro atque adulterio condemnato passim per lupanaria et ancillulas libido permittitur: ... Apud nos . . . eqs. Apud Mignium ascribuntur loci similes Augustini de civ. dei l. 14, 18 . . . et Cod. l. 9 tit. 9 Ad legem Iuliam de adulteriis et de stupris 1, 22/23. Num codices re vera formam Papiani praebeant, nunc erui nequit. Medii aevi temporibus huius iuris consulti clarissimi nomen sic depravatum esse testimonio sit Lex Romana Burgundionum circa annum quingentesimum a rege Gundobado promulgata, quae Papiniani, postea Papiani nomine errore ornabatur; cf. Rudolphi Sohm institutiones[13] (1908) p. 144, ann. 5 et Brunnerum in libri cui inscripsit Deutsche Rechtsgeschichte, vol. 1[2] (1906) p. 509. Papinianus autem de his rebus egerat; e. gr. in Digestis XXII 5, 13 eius verba afferuntur e libro primo de adulteriis. Similiter pater ecclesiasticus alibi verba facit despiciens in praef. in libr. Didymi de spiritu sancto M. 23. 101 A **105**: 'Cum in Babylone (scil. Romae) versarer

et purpuratae meretricis essem colonus et iure Quiritium viverem' atque in ep. 69, 5, 7: 'multos videmus ob nimiam paupertatem uxorum sarcinam declinare et ancillulas suas habere pro uxoribus susceptosque ex his liberos colere ut proprios; si forte ditati ab imperatore stolas illis meruerint, confestim apostolo colla submittet et invitus inter uxores eas recipere cogetur; sin autem principale rescriptum eadem tenuitas impetrare non quiverit, cum Romanis legibus scita ecclesiae mutabuntur. Vide, ne hoc, quod dicitur: unius uxoris virum⟨I. Tim. 3, 2⟩, unius mulieris possit intellegi, ut ad coitum magis referatur, quam ad dotales tabulas.' Iam videmus minime ab Hieronymo abhorrere id, quod M. Conrat in Hermae vol. 35 (1900) p. 344—47 ei vindicabat, eum Collationem legum Mosaicarum et Romanarum inter iuris peritos notam confecisse, quam Huschkius in editione quarta collectionis iuris anteiustiniani (1879) in p. 627 atque in scripto periodico, cui inscribunt Zeitschr. f. gesch. Rechtswissenschaft, vol. XIII, pag. 24 sqq. Rufino tribuit, amico Hieronymi atque postea inimico; Mommsenus in Collectione librorum iuris anteiustiniani, tom. III (1890) p. 130 ab Ambrosio scriptum esse putavit. Conrato resistebat Georgius Gruetzmacher p. 20/21, cui non assentimur; contra Hieronymum certe argumentum praesto non est. Identidem quid homines gentiles praestiterint, quid christiani, utri prius, utri melius, ut modo de iure vidimus, quaerit, quin etiam illos vetera Iudaica usurpasse contendit. Idem studium in scripto illo de lege dei late patet, v. Huschkium p. 627/8. Notissima Varronis operae cum Origeniana comparatio est; idem saepius ostenditur: in praef. l. de vir. ill.: qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores; in Is. 1, 1 l. 1 M. 24. 24 B **9**: Sciamus quoque Ezechiam in Ierusalem duodecimo anno Romuli, qui sui nominis in Italia condidit civitatem, regnare coepisse: ut liquido appareat, quanto antiquiores sint nostrae historiae, quam gentium caeterarum'; in tract. de ps. 93 A. M. III 2, p. 130, 1—6: Legimus in poeta saeculari ⟨Persius I, 1⟩ 'O curas hominum, o quantum est in rebus inane.' Et gentiles et philosophi istum versiculum ad caelum levant. Et quid dicunt? Nihil potuit prudentius dici. Ecce rusticanus noster Hebraeus ante tanta saecula hoc locutus est.' atque similiter in Amos V 8 sq. l. 2. M. 25. 1043 A. **289/90** ad verba scripturae 'et iustitiam in terram posuit': Ego puto ex hoc loco etiam gentilem poetam furatum, qui de rusticorum simplicitate et beatitudine edisserens intulit. . . — At talia cum non contra Hieronymum faciant, ne pro eo quidem adhibuerimus, cum omnino homines christiani sic cogitasse videantur; cf. Huschkii exempla l. l. p. 627. Tamen accedit Hieronymi legum scientia, cuius testimoniorum numerum ampliamus: scribit enim

in ep. ad Gal. 6, 12 l. 3 M. 26. 435 A. **530**: Caius Caesar et Octavianus Augustus et Tiberius successor Augusti leges promulgaverant, ut Iudaei, qui erant in toto Romani imperii orbe dispersi, proprio ritu viverent et patriis caerimoniis deservirent;' cf. contra Cod. I tit. 9 De Iudaeis et caelicolis, 8, constitutionem Valentiniani et Theodosii. Ad epistulam 52, 6 apud Mignium atque apud Zoecklerum p. 133, ann. 1. lex imperatoris Valentiniani adnotatur, quae ibi manifesto respicitur atque nunc exstat in cod. Theod. XVI 2, 20; in ep. 57, 3, 1: si ante tribunalia iudicum hoc vobis crimen impingerem, reos legibus subiugarem, quae etiam pro utilitate fisci delatoribus poenam statuunt et, cum suscipiant proditionem, damnant proditorem eqs.; in l. c. Vig. 6 M. 23. 344 A. **392**: Senatoriae videlicet dignitatis sunt (scil. sancti); et non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia in fortunatorum insulis et in campis Elysiis recluduntur. In l. adv. Ruf. I 10 M. 23. 405 A. **466**: Aut certe, si res ad probationem venerit et impudentiam frontis oppresserint testimonia plurimorum, palinodiam Stesichori more cantato; cf. Dig. 22, 5 tit. De testibus, 3 in rescripto Divi Hadriani: alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidem; in l. adv. Pelag. I 34 M. 23. 528 A **732**: . . . qui occidit per ignorantiam, exsilio condemnatur . . . ibid. III 7. 576 C **789**: Vetus enim sententia est homicidam esse eum, qui, cum possit hominem de morte liberare, non liberet.

Quin immo imperatores in legibus ecclesiasticis, ut ita dicamus, ferendis adiuvit: in l. adv. Ruf. I 12 M. 23. 406 D **468** legimus: 'Imperatorum quoque scripta, quae de Alexandria et Aegypto Origenistas pelli iubent, me suggerente dictata sunt.' De scriptis imperialibus loquitur quoque in l. adv. Ruf. III 17. M. ibid. 469 A/B **546** et in ep. 82, 10 M. 22, 742. **520**. Haec quoque apud Donatum didicisse videtur, in cuius commentariis satis mutilatis adhuc vestigia iuris inveniuntur: in Andr. 40, 4; 465, 2; 799; 931 de testibus; in Eun. 10, 2; 11, 2; 54, 1, cf. Serv. Dan. in Aen. II 424; 331, 2; 515, 1; in Ad. 194; 961, 3; 970. in Hec. 172, 2. in Phorm. 334, 2/3. Hac iuris peritia Servius Danielis, qui dicitur, et Servius, Vergilii commentatores Hieronymum eiusque praeceptorem adaequant, qua de re infra agetur.

Ipse, ut vidimus, Hieronymus testis est se praeceptoris in Terentii fabulas commentarium legisse. Similitudines inde explicandas proposuimus, quae tamen non idem omnes valent. Aliquid tribuimus universo interpretandi generi atque exemplis sub nr. 3—6, 14, 16, 19 notatis praeter cetera. Ne haec quidem ad verba congruunt, quod diversum in modum nobis explicare possumus. Hieronymum, si e memoria locos

afferebat, verba non servasse mirum non est. Satis saepe pater ecclesiasticus in libris scholae recordatur, ut ipsum Donatum audiamus loquentem loco p. 4 allato e comm. in eccles. I M. 23. 1019 A **390**. Quae verba nunquam in commentariis Donati scripta fuisse consentiunt Martianaeus, Hieronymi editor, Luebeckius p. 5, ann. 2: 'Absurde Vallarsius . . . etenim in schola tale quid optime proferri potuit, a ratione commentarii plane abhorret,' Wessnerus in libello 'Untersuchungen zur lat. Scholienliteratur', p. 15 in Abh. der Bremer Philol. Vers. 1899, in annotat. altera, quos sequimur. Contra Vallarsius in Hieronymi locum docebat: 'putat Martianaeus hoc de ore dictum a Donato, cum in eius commentariis nihil simile invenire sit. Fortasse autem verius novum ex hoc loco argumentum peteretur ad probandum commentarios illos in vulgatis hodienum libros mancos esse et mutilos.' Quam sententiam cur adhibuerimus, mox apparebit. Re vera, utrum Hieronymus ex ipsius Donati libris an ex sua memoria hauserit, haud ita magni momenti esse potest: Donatiana utrumque in modum reliquit. Neque ullo modo quaestio absolvi possit; tantum enim abest, ut Donati opus integrum ad nos pervenerit, ut illud ne audere quidem liceat. Sabbadinius enim in scripto periodico Studi italiani di filologia classica II p. 12 sq. et III p. 340 sq. sententiam promulgavit de commentarii, quem nunc habemus origine, quam postea Paulus Wessner paululum mutavit in script. hebdom. philol. Berol. (1895) col. 426 ad 431; cf. Unters. z. lat. Scholienlit. p. 1 sqq. Cuius ab omnibus fere nunc probatae partem quam brevissime repetimus, quantum quidem facit ad nostrum propositum. Duo exstabant commentarii in Terentii codicum marginibus notati, alter Donati paene incorruptus, alter ipse quoque Donati sed mutilatus atque additamentis obrutus; qui ita coniungebantur, ut fieret scholiorum, quae nunc tenemus, archetypus. Iam vides, cur supra sententiam Vallarsii non omiserimus, quamvis falsam. Nam qui Hieronymi verba legerit, vix dubitabit, quin ab ipsis, qui Donatum audierunt, facillime talia incipi potuerint, qualia Sabbadinius facta esse probabat: scholia igitur in codicibus adscripta sunt, quae postea alia ex aliis ampliata in ipsius praeceptoris opus refluxerunt. Quod medio fere sexto saeculo accidisse Wessnerus ostendit in editionis Donati praef. p. XLV.

Apud Hieronymum igitur, si Donatiana habemus, pristinae commentarii formae reliquias deprehendimus, quam etiam Eugraphio praesto fuisse Wessnerus docet in M. Rh. 62 (1907) p. 224/25, non Prisciano, quod Sabbadinius cum Leone affirmaverat; v. Wessnerum in ed. Donati vol. I. praef. p. XLV. Quaecunque scholiorum, quae nunc habemus, aliquo modo cum Hieronymo concinunt, veteri Donati operi vindicare non

veremur. Ex nonnullis etiam maiorem, opinamur, fructum capere licet, cum plus ibi tradatur, quam in scholiis, quae adhuc servata sunt. De quarta earum, quas enumeravimus, similitudine primum qui legerit quaeret, utrum a Cicerone, qui de versu Terenti Laelium disserentem facit, an a Donato, apud quem Ciceronis locum adhibitum videmus, originem trahat. Hieronymo vero nihil simile cum Cicerone est, cum optime cum Donato congruat. Ad Donatum igitur patre ecclesiastico teste referimus scholion in Andr. I 1,40 'improbatur — schola.' Tunc facere non possumus, quin eidem quae sequuntur annotationes ascribamus in v. I 1, 41 = 68, 1 'huius versus — dixerint', propter improbior vocabulum (cf. improbatur) et quia Cicero adhibetur et 68, 2 '*Et est* — dicit' propter verba 'magis theatro apta' et propter Ciceronem. De Cicerone a Donato in suum usum converso statim dicemus. Animadvertas verba praeceptoris sic a discipulis variari, qui scribendo sequuntur illum interpretantem. Elucet grammaticum sententiam non praefracte negasse, sed de ea fusius disputasse; certo, opinamur, explicabat, cur in theatro praecipue valere posset 'magis apta'. Cuius disputationis vestigium *παράδοξος* illud, cui annectere possumus, quae sequuntur, de amphibolia verba, esse videtur, atque cum optime *παράδοξα* solvantur secundum speciale et generale, etiam locus Hieronymi. Alibi quoque Donatus haec philosophica in interpretatione posuit, e. gr. in Eun. IV 6, 23 = 761, 3; in Ad. IV 2, 31 = 570; V 6, 5 = 893, 1; ibid 6 = 894, 1: 'et praeterea sententia generalis inducitur, cum nullum specialiter dominum significet'; V 9, 4 = 961, 1; in Hec. I 1, 3 = 60, 1; II 1, 1 = 198, 4: *Et* incipit a generali exclamatione, quo vehementior sit eius accusatio, paulatimque ad speciale crimen descendit; II 3, 1 = 274, 3: 'officium enim poetae boni est nullum genus hominum specialiter laedere'; atque bene sic defendere potuit et poetam, quod ei cordi erat, v. p. 15, et veritatem. Modo quod Cicero respiceretur causam scholii Donato tribuendi esse contendimus. Quod omnino Donatum, ubi potuit, fecisse colligimus ex eo, quod identidem occurrunt inter Ciceronem, Donatum, Hieronymum similitudines; velut sub nr. 7, 11, 12, 20; imprimis in differentiis, cf. in Andr. 7, 3: quid autem inter maledictum et crimen intersit, docet Cicero in Tusculanis (?).

Res est notissima Donatum iis, qui ante eum docuerunt, diligenter usum esse, veluti Probo, ut statim videbis, ipso teste in ep. ad Munatium in Philol. 24. (1866) p. 154 ab Woelfflinio edita. Altera igitur causa, qua haec scholia ad Donatum pertinere statuetur, accedit, quod Ciceronem vituperat, qui vocem obsequium a Terentio primo usurpatam esse docuerat; cf. Quintilian. inst. or. VIII 3, 35. Hic Probi observationem proferri Paulus Rabbow in Fleckeiseni annal. vol. 43 (1897) p. 313

contendit scholio in Phorm. II 3, 25 = 372, 2 adscripto: 'MALELOQUI pro maledicere; et quaerit Probus, quis ante Terentium dixerit.' Loci prorsus similes apud Servios exstant, cf. p. 45/46. Assentimur Donatum, ut alibi — locos Umpfenbachius collegit in ed. Terenti praef. p. XXXVIII — hic quoque Probi explicationibus usum esse. Quibus rebus expositis facere vix possumus, quin hic vestigium genuini Donati operis extra scholia Donatiana, quae servata sunt, exstare putemus.

Etiam melius idem insequenti exemplo ostenditur. Certissime ex Hieronymi testimonio scholion secundo loco positum ad Donatum referimus. Unde autem eum narratiunculam, quae praecedit, de more Leptitanarum hausisse verisimilius est, quam ex eodem commentario, quippe qua optime versus poetae Afri illustretur?

Quem audacem coniecturarum non piget, latius evagetur. Africanum fuisse Donatum doceat, qui oppidi Africani domestica callebat atque apte protulit. Alter locus Hieronymi auxilio vocari potest e. l. adv. Ruf. III 27 M. 23. 477 C. **556**: 'Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes. Grammaticum quidam Afrum habuit Romae virum eruditissimum; et in eo se aemulum praeceptoris putabat, si stridorem linguae eius et vitia tantum oris exprimeret.' Scimus quantopere Hieronymus in his libris adversarii amici personam petat, scimus Rufinum et ipsum Donati discipulum fuisse. Atque unde Hieronymus tam accurate has minutias nosset, si ad alium quendam spectarent! Constat illis temporibus Afros in imperio Romano non minimas partes obtinuisse. De Mario Victorino rhetore, viro clarissimo, Hieronymus ipse loquitur in l. de vir. ill. 101: 'Victorinus natione Afer', atque idem de Charisto quodam, qui Euanthio Constantinopoli successit, in annum p. Chr. n. 358 annotavit in chronicis II p. 195 t. Sch.: 'Euantius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli diem obit. in cuius locum ex Africa Charistus (B, chrestus APF) adducitur.' Quem Usenerus eundem esse coniecit, atque Flavium Sosipatrem Charisium, cuius nomen in cod. Neapolitano IV A 8 s. VII/VIII, quem Keilius descripsit Gr. L. I p. VII, superscriptum legimus arti grammaticae, in M. Rh. 23 (1868) p. 492. Ut sileamus de hominibus ecclesiae.

Porro in septimo et in undecimo loco rem se habere crediderimus, ut in quarto significavimus: Donatum ut illic de versu Terentii, hic de gaudii et laetitiae differentia atque Stoicorum distinguendi consuetudine disseruisse Cicerone adhibito, cuius negotii Hieronymus vestigia retinuerit. Similes reliquiae essent, quas Hieronymus de Stoicis profert sub. nr. 20 et 21. Etiam Servius Danielis, ut ita dicamus, Ciceronem grammaticum respicit, velut de etymologia vocabuli 'foedera' ad Aen. VIII 641. At in septimo et undecimo exemplo Cicero similius scribit,

quam ut certius quid statuere auderemus, nisi succurreret de perturbationum partitione doctrina cum gaudium et laetitia verborum differentia arte coniuncta. Perbene initio Hieronymus cum Cicerone facit, quem alibi idem tractans etiam commemorat, tunc verbo tenus cum eodem Servius Varronem omnesque philosophos auctores confessus in versum, quem Hieronymi praeceptor respicit in commentario Terentiano. Quod ad cetera attinet verba, mirum in modum inter se mixta conspicis: Hieronymus profert duo praesentia et duo futura:

[1]aegritudo [2]gaudium [3]spes [4]metus;

item Donatus distinguit sed alio ordine usus, uno vocabulo mutato:

[3]dolor [4]gaudium [1]spes [2]metus;

Servius denuo ordinem turbat his vocabulis usus:

[1]dolere [3]gaudere [4]cupere [2]timere;

nam non solum praesentia et futura discrevit, sed, ut Cicero maxime mala et bona malis praemissis. Contra in Tusculanis disputationibus bona praecedunt neque eadem vocabula exstant:

[4]aegritudo [2]laetitia [1]libido [3]metus.

Facillime has similitudines dissimilitudinesque explicamus, si a Donati commentario sive eius in schola doctrina, cum Ciceronem non ignoraverint, et Hieronymum et Servium pendere credimus. Quin Donatus de talibus rebus philosophicis disputaverit, dubium esse non potest; cf. ann. in Ad. I 1,5 = 30,3 de *λόγῳ ἐνδιαθέτῳ* et *προφορικῷ* atque exemplum, quo idem apud Hieronymum discimus, *περὶ δυνατῶν*. Hieronymus accuratius rem tractat, qnam scholia Terentiana adhuc servata. Vestigium pristini commentarii apud patrem ecclesiasticum teneri etiam inde concluditur, quod in scholio more eorum, qui commentaria corripiunt, 'quidam' pronomen ponitur pro nominibus auctorum illic servatis. Antea exstant verba sub nr. 19 digna, quae diligenter inspiciantur. Legimus apud Donatum: 'nam haeret avis non animo nec voluntate, sed visco decipientis aucupis'. Cui bono haec? Idem exprimere videntur, quod verba Hieronymi 'eo quod haerent visco', pro quibus, si ingesseris, optime sententia stabit '... ab aucupe, qui melius dicitur *ἰξευτής*. nam haeret avis non animo nec voluntate, sed visco decipientis aucupis.' Apparet Hieronymum apud Donatum didicisse aucupem melius significantiusque viscarium dici — cf. eiusdem generis illud Ciceronianum, de sen. § 45, et Hieronymianum de convivio melius sic a Romanis dicto, quam *σύνδειπνον, συμπόσιον* a Graecis, in Is. I 22. l. 1 M. 24. 39 A. 26 — cum sine visco aves non caperet, quae sua sponte in potestatem aucupis non venirent, quam

sententiam paululum ad sermonem christianum sibi adaptavit. Quamquam ne huic quidem exemplo, quod et aliter explicari posse videmus, tantum tribuimus, quantum de feminis Leptitanis annotationi. Sed cum vestigia exstare minime negari possit, etiam loci Hieronymiani respiciendi sunt, quibus quid ad Terentium interpretandum profertur, cum nunc simile quid non legatur in scholiis Terentianis; nam in pristino Donati opere eos vel similes positos fuisse existimare licet, ne dicamus verisimile est.

In praef. in l. Didym. de. spir. sancto M. 23. 104 A. **106**: 'Legi dudum cuiusdam libellos de spiritu sancto et iuxta comici sententiam ex Graecis bonis Latina vidi non bona ⟨Eun. prol. 8⟩. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum, quod lectorem vel ingratis in assensum trahat: sed totum flaccidum, molle, nitidum, atque formosum et exquisitis hinc inde odoribus ('coloribus' legit Rufinus in apol.) pigmentatum.' Donati scholion in hunc versum non exstat; similiter autem versum a grammatico explicatum esse putaverimus; aliquid simile legitur in Andr. V 3, 20 = 891, 1: DOMUS UXOR L. I. mira gravitate sensus elatus est; nec de Menandro, sed proprium Terentii; in Ad. 761, 2: Hinc licet aestimare, quantum et coloris et gravitatis apud Terentium sit ad imitationem Caecilii; nam vide quantum creverit a superioribus, ut sic finiret; ibid. 685, 4: 'vide et omnes sententias poni accusatorias et nihil amarioris. isti sunt colores orationum difficillimi, sed elaboravit Terentius. . . .'; 'mollis' et 'flaccidus' vocabula Donatus coniungit in Eun. 688, 2: VIETUS mollis flaccidusque et flexibilis corpore. . .

A Donato etiam Heautontimorumenon, in quam scholia non habemus, explicatam esse nemo esse videtur, quin credat; cf. p. 52, I. Vestigium vero huius commentarii non proditi in iis verbis latere possit, quae Hieronymus facit in Mich. I 1, 16 M. 25. 1164 C/D **447**: 'Et quomodo aquila, quae regina est avium, certo tempore amittit pilos et remanet implumis: sic etiam Israel deponat onnem gloriam suam, . . . Quod autem aquila certo tempore soleat amittere plumas et in psalterio scriptum est ⟨102, 5⟩. . . Et comicus in Heautontimorumeno ⟨III 2, 9/10 = 520/21⟩: 'Visa est, inquit, vere, quod dici solet, aquilae senectus.' Ut ceteris locis hic quoque, opinamur, praeceptoris interpretationem respicit. Eugraphius quidem alteram profert: "AQUILAE SENECTUS aiunt aquilam in senectute, quod ei rostri pars exterior vetustate et incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere et sic sanguinem in potum sumere et quodammodo bibendo vivere. hoc igitur ait servus domino, quasi bibendo totum tempus hesterna cena egerit, 'visa vero est quasi aquilae senectus'." Quae nobis minus apta esse videtur; nam servus modo, cum dominum conspiceret, vehementer

exterritus non tam offendere studet ludibrio quam adulari: neque de bibendo nimis facetias profert, sed senectutem tam bonam, qua nihil inde dominus sentiat, laudat comparans aquilae, de qua apud physiologum verba fiunt; plumis mutatis oculisque renovatis iuventutem recuperare fertur; v. Fridericum Lauchert in historia physiologi (1889), p. 9 et 10. Eugraphii quoque explicationi similis ibi occurrit, rostri nimis aucti, de quo iam Aristoteles loquitur, hist. animal. IX, 32, p. 619a 16 sq., qui aves tunc fame perire docet, cum in physiologo ipsae rostrum frangant, v. Lauchertum ibid., ann. 3. Ut finem faciamus, Hieronymi interpretatio magis idonea esse videtur, quam Eugraphii, atque cum ceteris exemplis redire ad Donatum.

Hieronymi igitur testimoniis virorum doctorum de origine commentarii Donatiani, quem nunc tenemus, sententia firmatur atque prioris huius commentarii status, quantum quidem tale quid statui potest, fragmenta sive vestigia praebentur.

Optime denuo nos iure apud Hieronymum Donati vestigia quaerere testimonio est vita Vergilii commentario in eius opera praemissa; commentarius ipse periit. Hic quoque loci obviam se dant inter se comparandi: Hier. in ep. ad. Gal. 3. prooem. M. 26. 399 D sq. **485**: Accedit ad hoc, quia propter oculorum et totius corpusculi infirmitatem, manu mea ipse non scribo: nec labore et diligentia compensare queo eloquii tarditatem: quod de Virgilio quoque tradunt, quia libros suos in modum ursorum fetum lambendo figuraverit.' Atque in Zach. 3 prooem. M. 25. 1497 C/D **881**: Unde et de Virgilio traditum est, quod libros suos quasi ursorum fetus lingua composuerit, et lambendo fecerit esse meliores, qui durarent in memoriam sempiternam, et necessitatem metri libera oratione complerent. — Hunc prooemiorum Hieronymi quasi *τόπον* iam Luebeckius p. 225 contulit cum vitae Vergilii § 22 p. 736 H., 59 R.: Cum Georgica scriberet, traditur cotidie meditatus mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen more ursae parere dicens et lambendo demum efingere; cf. Quintilian. inst. or. X 3, 8.

2. Hier. praef. quaestt. Hebr. in Gen. M. 23. 935 A. **301**: ... Hoc idem passus est ab aemulis et Mantuanus vates, ut, cum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur. Quibus ille respondit, magnarum esse virium, clavam Herculi extorquere de manu. Don. in vit. Verg. § 43—46. p. 739/40 H., 65. R.: Obtrectatores Vergilio nunquam defuerunt; nec mirum: nam nec Homero quidem ... Asconius Pedianus libro, quem contra obtrectatores Vergilii scripsit, pauca admodum obiecta ei proponit eaque circa historiam fere et quod pleraque ab Homero sumpsisset; sed hoc ipsum crimen sic de-

fendere adsuetum ait: 'Cur non illi quoque eadem furta temptarent? Verum intellecturos facilius esse Herculi clavam, quam Homero versum subripere.' Hos quoque locos Luebeckius commemoravit p. 225/226. Quamvis pro Donato nitentibus nobis restat, ut hic, item atque in vita Terentii, cavendum esse moneamus. Nam etiam in vita Vergilii Donatus Suetonium secutus est; atque eundem Suetonium, ut vidimus, discipulus Donati in Eusebii chronicis augendis adhibuit: certe nomen Suetonii non legitur in commentariis, sed bis in epistulis, semel in praef. libri Hieronymiani de vir. ill. v. Lueb. p. 222.

Epistulam vero ad Munatium, huius commentarii quasi praefationem, frustra perquisivimus neque quicquam effecimus in aliis Donatianae doctrinae fragmentis, explicationibus scilicet, quae apud Servium leguntur eius nomine ornata. Contra in glossis, quae ad praeceptorem Hieronymi redeunt, de quibus Georgius Goetz egit in libro, cui inscripsit, der Liber glossarum (1891) p. 276 ad 281, similitudines invenimus. In p. 278 ann. 1. Goetzius hanc glossam Donatianam proponit: 'Sensu nota pro sensu corporis sensa dici. donatus grammaticus ait epicureus ostendit omnia comprehendi posse sensu corporis,' quae ad georg. II 247 pertinere videntur. Conferas verba Hieronymi in eccles. 10. M. 23 1097 B **475**: 'Veritatem illi quidem omni studio quaesierunt; sed quia non habuerunt ducem et praevium itineris et humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt...' Sed praecedunt verba: Lege Platonem, Aristotelis revolve versutias: Zenonem et Carneadem diligentius intuere et probabis eqs., cum de Carneade multo rectius sententiam ferat in l. c. Ioann. Hier. 35. M. 23. 388 A/B **445**: 'Scilicet nunc mihi philosophandum est incertos esse sensus nostros et maxime visum. Carneades aliquis ab inferis excitandus, ut proferat verum. Remum in aqua fractum videri, porticus longius angustiores, rotundos procul turrium angulos, columbarum colla ad singulas conversiones colorem mutantia.' Iterum autem, quae propius ad Epicurum accedant, occurrunt in Ierem. IV 18, 1 sq. M. 24. 796 A **968/69**: Per omnes quidem sensus ad iudicium et intelligentiam animi pervenitur, auditu, odoratu, gustu, tactu; sed **969** magis mente retinetur, quod oculis cernitur, cf. 800 A. Porro glossae Sallustianae libri glossarum ad Donatum redeunt, cf. Goetzium l. l. p. 280; e quibus una huc pertinet verbi naphta, de quo Hieronymus prorsus similiter locutus est in Dan. 3, 46. M. 25. 510 B. **641**: Sallustius scribit in historiis, quod naphtha sit genus fomitis apud Persas, quo vel maxime nutriantur incendia. Alii ossa olivarum, quae proiciuntur cum amurca arefacta, *naphthan* appellari putant: unde et Graece πυρίνη dicitur, ab eo quod πῦρ, id est ignem nutriat. cf. Sall. fr. IV 61 M.

In libr. glossarum = C. Gl. V 225, 7 legitur: Napta purgamenta lini vel cuiuslibet rei. Sallustius scribit in storiis, quod nabta genus sit fomitis aput Persas, quo vel maxime nutriuntur incendia: alii ossa olivarum, qui proiciuntur cum amurca arefacta, naptam appellari putant, unde et Grece *πυρήνη* dicitur ab eo quod [est] *πῦρ* id est ignem nutriat, cf. C. Gl. V 312, 59 gl. Ampl. II, et V 621, 44 gl. Aynardi. Hos locos Guilelmus Schmitz in libro, cui inscripsit Beiträge zur lat. Sprach- und Litteraturkunde (1877), p. 156 primus inter se comparavit.

Cum e similitudinibus, quae in vita occurrunt, tum ex ipsius Hieronymi testimonio e. l. adv. Ruf. I, 16 p. 4 prolato apparet patrem ecclesiasticum haud minus bene Vergilianum commentarium quam Terentianum novisse adeo, ut spe elati huius quoque reliquias e sancti viri operibus eruere studeamus. Nam eorum scholiastarum libros conferre possumus, qui certe Donatum adhibuerunt, neque, quaecunque congruunt apud scholiastas atque apud Hieronymum, communi doctrinae Donatianae fonti, quin adscribamus, verbis impedimur, quibus Aspri commentarii Vergiliani mentionem facit. Semel huius grammatici nomen legimus, atque cum legeremus, Crantoris, Carneadis, Clitomachi recordati sumus, de quibus in ep. 60, 5 satis docte 'legimus', inquit, 'Crantorem, cuius volumen ad confovendum dolorem suum secutus est Cicero'; atque paulo post de Carneade et Clitomacho similiter. Facimus cum Luebeckio, qui haec nomina e Cicerone deprompta esse contendit p. 62 sq. Aeque certo nomen Aspri apud Donatum invenit, qui quomodo scriptores adhibuerit, aperte profitetur in ep. ad Munatium data: in commentario Terentiano Asper occurrit; locos Umpfenbachius collegit in Terentii editionis praef. p. XXXVII/VIII: in Ad. III 2, 25; IV 2,20; in Phorm. I 2,24; etiam apud Servium Danielis redit, v. Thilon. p. XIX et apud Servium. Sic cum res se habeant, quia Asper sine dubio in opere Donati praesto erat, is quoque, qui vetustiorem grammaticum ab Hieronymo lectum esse sibi persuaserit, sententiam si non falsam inutilem certe esse non negabit nobisque minime respiciendam. Secundum Asprum enim num quid Hieronymus protulerit erui non potest. Si protulit, talia crediderimus, qualia praeceptor probaverat, quae, cum probaret, etiam in suum commentarium transtulit. Tamen in hac quaestione nihil certi invenimus.

Primus e scholiastarum, quorum opera servata sunt doctrinae Donatianae plena, numero adsciscendus est Servius qui dicitur Danielis, de quo Thilo docet in editionis praef. p. XV: 'Asper, Probus alii saepius, Urbanus et Donatus nunquam in additiciis scholiis — i. e. apud Servium Danielis — nominantur, quamquam haud pauca eorum ad Dona-

tum probabiliter referuntur.' Cui nihil Serviani inesse credimus cum Thomasio in libro, cui inscripsit 'Essai sur Servius et son commentaire sur Virgile' p. 156 et cum Thilone, qui in praefatione editionis p. V. sq. hoc statuit. De tempore atque indole commentarii Pseudoserviani infra accuratius disputabitur. Nunc proponuntur loci inter se congrui: neque satis habuimus eos adnotare, quibus easdem res singulares exhibet, eos omittere veriti, qui ad universum commentarii tenorem illustrandum idonei esse videbantur. Loci, quibus Hieronymus et Servius Danielis sive in iis, quae sequentur, Servius eundem versum similiter explicat, duobus asteriscis notantur, uno, ubi Hieronymus versus interpretationem profert, quae congruit cum alius versus Serviana.

1. Hier. in Is. 11, 6 sqq. l. 4. M. 24. 147 C **159**: nisi forte iuxta fabulas poetarum aureum nobis Saturni saeculum restituent, in quo lupi et agni pascentur simul, et mulso vino plena current flumina, et de foliis arborum stillabunt mella dulcissima, lacteisque fontibus omnia complebuntur; ibid. 30, 26 l. 9. M. 24. 350 C **416**: tunc de montibus et collibus iuxta fabulas poetarum et Saturni aureum saeculum lactis rivos fluere et de arborum foliis stillare mella purissima. — Serv. Dan. in ecl. IV 6: *aurea saecula, quia Saturnus aureo saeculo regnasse dicitur,* ibid. 10. fusius secundum Nigidium 'de diis' agit de temporibus et aetatibus. in ecl. VI 41: *non aureo saeculo, quo Saturnus regnavit;* in Aen. I 729: *Saturni temporibus.* Serv. in Aen. VI 793: sub Saturno dicit aurea saecula fuisse in orbe terrarum, sub Augusto tantum in Italia.

2. Hier. in Amos I 2. l. 1. M. 25. 993. A/B **224/25**: 'Naturale est, ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis et unusquisque, in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem proferat: eqs.' tunc de Amos propheta pastore dicit: 'Cur haec dicta sunt? ut scilicet ostendamus etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit . . . artis suae usum esse sermonibus.' — Serv. Dan. in ecl. V 32: *bene, ut pastores, similitudines de rebus agrestibus sumunt.* Huc revocanda sunt, quae de studiis ethologicis in Donati comm. Ter. p. 13 diximus.

3. Hier. in Mich. 6, 3 sq. l. 2 M. 25. 1208 A **502**: ligna SETTIM, quae habent similitudinem arboris, quam nos vulgo spinam albam dicimus; cf. in Is. 41, 17 sqq. l. 12. M. 24. 417 C/D **502**: SETTA . . . spinam Theodotio transtulit. Est autem genus arboris nascentis in eremo spinae albae habens similitudinem. — Serv. Dan. in ecl. V 39: CARDUUS *spinae genus.* PALIURUS herba asperrima et spinosa: *vel ut quidam volunt spina alba.*

4. Hier. in Is. 50, 2 l. 13. M. 24. 478 A **578**: Aiunt philosophi non amplius decem stadiis a terra nubes in sublime sustolli et solis

splendorem abscondere. Ergo non caelum sacco obvolvitur, sed intercluso caeli lumine aer, qui subter est, nubis tenebris obscuratur. — Serv. Dan. in ecl. V 57: *et quidam 'sub pedibus' secundum physicos dictum volunt, qui tradunt sidera id est planetas, in aethere ferri, qui intra caelum est: nam nubes vicinas esse terris nullus ignorat.* Cf. Serv. in Aen. I 90: aetherem hoc loco pro aëre posuit; nubes enim, unde et fulmina, aëris sunt, non aetheris.

**5. Hier. ep. 58, 8, 3: 'per Aonios montes ... ducere.' Hoc spectat ad Vergilii ecl. VI 65: Aonas in montis ut duxerit una sororum. Serv. Dan. in h. l. DUXERIT *perduxerit.*

**6. Hier. ep. 49 (48) 19: An forsitan Pythagoram et Archytan Tarentinum et Publium Scipionem in sexto τῆς πολιτείας de impari numero proferam disputantes? Et si hos audire noluerint obtrectatores mei, grammaticorum scholas eis faciam conclamare 'Numero deus impare gaudet' ⟨ecl. VIII 75⟩. — Serv. Dan. in h. l. *iuxta Pythagoreos . . . licet Varro dicat Pythagoreos putare . . .*

*7. Hier. in Ioel III 7, 8 M. 25. 982 C **210**: Saba . . . Unde et thus venire perhibetur, dicente Virgilio ⟨Aen. I 416/17⟩, licet quidam Sabaeos Arabes suspicentur. — Serv. Dan. in georg. I 57: *alii Sabaeos Arabas* . . . **Serv. in Aen. l. l. SABAEO Arabico. Arabiae autem tres sunt . . . Serv. in georg. I 57: Sabaei populi sunt iuxta Syriam et Arabiam eqs.

8. Hier. adv. Iov. I 7 M. 23. 219 B. **246/47**: Narrant et gentilium fabulae **247** Mithram et Erichthonium vel in lapide vel in terra, de solo aestu libidinis esse generatos. — Serv. Dan. in georg. I 205: . . . *Erichthonium, qui natus est ex semine Vulcani, quod, dum stuprum Mineruae inferre conatur, fudit in terram.* Servius Danielis lectorem ad hunc locum relegat in annotatione in georg. III 113: *Varro in libro qui Admirabilium inscribitur . . . de hoc Erichthonio alibi satis dictum;* in hunc versum Servius quoque de ea re agit, aliter, scilicet suo more secundum rationem, in Aen. VII 761.

9. Hier. in Ez. 30, 1 sqq. l. 9 M. 25. 289 C/D **357, ubi disputatio de prolepsi praecedit, de qua in p. 31 verba fient: 'unde et poeta Pelusiacam appellat lentem, non quod ibi genus hoc leguminis gignatur vel maxime, sed quod e Thebaida et omni Aegypto per rivum Nili illuc plurimum deferatur'. Cf. Lueb. p. 172. ann. — Serv. et Serv. Dan. in georg. I 228: PELUSIACAE LENTIS Pelusium unum est de septem ostiis Nili, *ubi primum lens inventa dicitur vel* ubi optima lens nascitur: unde κατ' ἐξοχὴν locutus est.

Servius sententiam Donati in suum usum convertit, quae postea secundum ea, quae de Servio Danielis exponemus, ab eo commentatore denuo

e Donato supplebatur. Hieronymus vero, qui ipse has regiones vidisset, praeceptorem correxit. In mentem venit locus, ubi morem grammatici, qui hic res vitae non vidit, ut grammatice κατ' ἐξοχὴν statueret, ludibrio habet, in Ion. IV 6 M. 25. 1148. B **426**: voluimus id ipsum Hebraeae linguae nomen exprimere, quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat; sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi: et vel bestias Indiae vel montes Boeotiae, aut istius modi quaedam portenta confingerent eqs.

10. Hier. in Soph. I 11 M. 25. 1349 A/B **686**: Pila . . . non per brevem syllabam primam legenda est, ne σφαῖραν putemus, sed productam, ut de pila sciamus dici, in qua frumenta tunduntur, vas concavum et medicorum aptum usui, in quo proprie ptisanae feriri solent. — Serv. Dan. in georg. I 267: *potest accipi et pinsere, quod significat pilo tundere, quia et vulgo cavatum saxum pilam dicimus: . . .*

11. Hier. in ep. ad Gal. II praef. M. 26. 355 A **427/28**: item insulae Aphrodisiades et Gymnesiae, quae vocantur Baleares, nonne Graeci sermonis indicia demonstrant? — Serv. Dan. in georg. I 309: *et insulae Baleares primo Gymnesiae dictae: post vero cum a Graecis occupatae sunt, quia cum lapidibus fundas rotantes adversarios submoverent, insulas, quas incolebant παρὰ τοῦ βάλλειν Baleares appellarunt;* cf. Diodorum V 17 et. Plin. NH. III 77. V. Hermae 20 (1885) p. 543.

12. Hier. in Os. 4, 15/16 l. 1 M. 25. 854 C/D **44/45: Pro lasciviente vacca Septuaginta transtulerunt παροιστρῶσαν, quae oestro asyloque percussa sit, quem vulgo tabanum vocant. De quo et **45** Virgilius in tertio georgicon libro refert . . . ⟨147—151⟩. Serv. Dan. in georg. III, 146: *Nigidius de animalibus asilus est musca varia, tabanus, bubus maxime nocens. hic apud Graecos prius μύωψ vocabatur, postea magnitudine incommodi oestrum appellarunt.* Cf. Serv. Dan. in v. 148. — Serv. in v. 148: οἶστρος autem graecum est: latine asilus, vulgo tabanus vocatur.

13. Hier. in Ierem. 14, 26. l. 3 M. 24. 769 B **937: insaniam ostendit libidinis equarum more, quae ad coitum gestiunt, ut est illud Virgilii ⟨georg. III 280/281⟩ 'Hippomanes . . . virus.' Serv. Dan. in h. v.: *hippomanes . . . Theocritus* ⟨II 48⟩ *herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equae in libidinem ardescunt . . . defluens ex equarum inguinibus . . .*

Scholion turbatum esse videtur. Serv. in h. v. hippomanes dicit esse virus defluens ex equarum inguinibus quo tempore feruntur amoris furore.

14. Hier. in Amos prol. M. 25. 990 A **219/220**: ne agrestes qui-

dem casae et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. — Hoc verbum haud raro occurrit apud scriptores Latinos, Catonem (secundum Festum), Sallustium, Livium, Senecam etc., Vergilium, Valerium Flaccum, Silium Italicum. Serv. Dan. in georg. III 340: MAPALIA TECTIS *mapalia casae Maurorum, qui in eremo habitare dicuntur, sicut illud Lucani* ⟨IX 945⟩ . . . Serv. in Aen. IV 40: ad terrorem 'urbes' posuit: nam in mapalibus habitabant (scil. Gaetuli). Cf. in Aen. IV. 259: MAGALIA Afrorum casas: et mapalia idem significant...

15. Hier. in Ez. 30, 1 sqq. l. 9 M. 25. 289 C **357: 'Nos autem pro NO Alexandriam posuimus per anticipationem, quae Graece πρόληψις appellatur iuxta illud Virgilianum ⟨Aen. I. 2⟩ Lavinaque venit Litora: non quo eo tempore, quando venit Aeneas in Latium, Lavinia dicerentur; sed quae postea Lavinia nuncupata sunt, ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiae . . .'; sequitur locus de lente Pelusiaca in georg. I 228 sub nr. 9 tractatus. — Serv. Dan. in Aen. I 2: *sane bene addidit 'Lavina' ut ostenderet ad quam partem Italiae venisset Aeneas, quia eqs.* Cf. Lueb. p. 175 ann. 3. Servius aliter explicat atque addit: '. . . quamvis quidam superfluo esse prolepsin velint.' Apparet Servium Danielis sententiam Donati, quem quotiens Servius impugnet notum est, servasse. Unde Donato locos tribuere non dubitamus multo crebriores apud Servium Danielis, quam apud Servium genuinum, quibus prolepsis statuitur aut, quod eodem pertinet, aliquid 'e persona poetae' dictum esse: Serv. Dan. in georg. II 162; IV 461, Serv. ibid. 'et est prolepsis ex persona poetae'; in Aen. I 565 *quamvis alii prolepsim velint esse;* III 701 . . . *sed ad praesens tempus locutus est.* similiter Serv. in v. 703; IV. 42 *sed hoc per prolepsim dictum est;* VIII 136 *sane prolepsis est.* 276 *sed poeta ad illud tempus rettulit, quo . . .;* 347 *prolepsis.* 361 *sed et hic prolepsin fecit;* IX 9 PALATINI *prolepsis est.* X 120 LEGIO *prolepsis.* 526 *nisi forte usum temporis sui heroicis temporibus poeta voluerit applicare.* VIII 565 *dictum est e persona poetae.* 583 *hoc ex persona poetae.* IX 397 *mire adfectum suum poeta interposuit;* 424 *sympathiam etiam poeta ex sua persona fecit.* 725 DEMENS *pathos per personam poetae proferendum.* similiter Serv. in h. v.; X 202 *putatur poeta in favorem patriae suae hoc locutus,* qua annotatione ea tanguntur, quae in p. 38/39 de poeta patriae memore dicentur; XII 779 *nam ex sua persona poeta ait* ⟨764⟩. — Serv. in Aen. VI 900 a persona poetae prolepsis: nam Caieta nondum dicebatur. VII 712 hoc ex sua persona dicit poeta: nam adhuc civitas Nomentana non fuerat, ut in sexto ait ⟨773⟩; 797 aut prolepsis est; X 467 nam illud ex persona poetae dictum.

16. Hier. in Ierem. IV 11/12 l. 1 M. 24. 709A **867: *'Αποσιώπησις* est iuxta illud Virgilianum <Aen. I 135> 'Quos ego . . . fluctus'. — Serv. Dan. in h. v. QUOS EGO *subauditur 'ulciscar'. ergo ἀποσιώπησις est, hoc est, ut ad alium sensum transeat eqs.* Luebeckius in hunc locum Hieronymi p. 176 ann. 2 contulit Quintilian. inst. or. IX 2, 54 et Donatum in Eun. I 1, 20; adde in Eun. V 8, 20.

17. Hier. in Zach. 2, 13 l. 1 M. 25. 1435A **799**: neque enim nubes istae corporeae, in quas aer densior cogitur. Cf. Hier. translat. Origenis in Ierem. homil. 5 M. 25. 628B **796**: De his enim (scil. nubibus), quae ex denso (al. cod. densato) aere dicuntur constare. — Serv. Dan. in Aen. I 587: *quia aër collectus nubes fecit, ut 'atque in nubem cogitur aër'* <Aen. V 20>, *quae puriore vento dissoluitur in aërem.* in Aen. V 20 affert v. Aen. I 587. — Serv. in Aen. I 71: ipsa (Iuno) est enim aër, de quo nubes creantur, ut est 'atque in nubem cogitur aër' <Aen. V 20>; in Aen. V 20: nubes enim aëris densitas facit, ut <georg. I 419>.

18. Hier. in Amos 2, 5, 8 sq. M. 25. 1042A **288: Quando autem audimus Arcturum et Oriona, non debemus sequi fabulas poetarum, et ridicula ac portentosa mendacia, quibus etiam caelum infamare conantur et mercedem stupri inter sidera collocare dicentes <Aen. I 744>. — Servius Dan. in h. v., ut solet, e. gr. in ecl. VIII 55; in georg. I 33, 67, 205, 218, 222, 244, 246 *καταστηρισμοὺς* narrat, quos Servius raro profert, velut in georg. I 246 et II 389, quippe qui fabulas secundum rationem explicare studeat; cf. Aen. I 568, 619. III 73, 113, 116, 420, 578, 636. IV 484. V 801, 864 etc. praecipue, quia ad caelestia pertinet, schol. in Aen. IV 239: 'Mercurius ideo dicitur habere pennas, quia citius ab omnibus planetis in ortum suum recurrit'; tale quid apud Serv. Dan. semel invenimus, in ecl. VI 78 sub fine: *quidam tamen eas* (Procnen, Philomelam) *navibus effugisse periculum et ob celeritatem fugae aves appellatas volunt. καταστηρισμοὺς* docens Serv. Dan. in Aen. I 744 remittit ad georg. I 138; de Orione inter sidera recepto agit in Aen. X 763.

19. Hier. ep. 64, 13: Quartum genus est vestimenti rotundum pilleolum, quale pictum in Ulixe conspicimus, quasi sphaera media sit divisa et pars una ponatur in capite: hoc Graeci et nostri tiaram, nonnulli galerum vocant. — Serv. Dan. in Aen. II 44: *huic Ulixi primus Nicomachus pictor pilleo caput texisse fertur.* Hoc scholion ad verba Plinii redire videtur N. H. 35, 108: Ulixi primus addidit pilleum (scil. Nicomachus, Aristiaci filius ac discipulus, pictor); in v. 683: *Suetonius tria genera pilleorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum . . . galerum pilleum ex pelle hostiae caesae.* Serv.

in Aen. VII 688: galerus genus est pillei, quod Fronto genere neutro dicit 'hoc galerum'. Cf. excerpta de comoedia apud Wessnerum VIII 4: 'Ulixen pilleatum semper inducunt'. De loco Hieronymi Theophilus Raynandus agit in sectione duodecima 'de pileo et ceteris capitis tegminibus' Graevii thesauri antiquitatum tom. VI (1697) col. 1281 sq. Serv. Dan. etiam altero loco, in Aen. II 296, cum excerptis de comoedia congruit c. VIII 2; atque saepius picturas artemque pingendi respicit e. gr. in Aen. I 464, 479, 692. II 616: *fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur. sic etiam pingi solet;* cf. III 587 et IX 110; item Serv., ut in Aen. VI 22, 33, 34. VII 572. VIII 77: flumina ideo cum cornibus pinguntur.

20. Serv. Dan. in Aen. II 64 annotationem in parte de artibus Donati contulimus p. 6.

21. Hier. in Ez. 6, 6/7 l. 2. M. 25. 59 C. **58**: 'et conterantur delubra, non templa, quae contra templum domini surrexerant, Graecoque sermone appellantur τεμένη, id est fana atque delubra'. Putamus Hieronymum templa et delubra hic sic inter se opposuisse, quod verbi 'delubrum' definitio qualiscumque veterum accipitur, nisi in templum dei ethnici vel deorum, non quadrat. Serv. Dan. in Aen. II 225: *Varro autem rerum divinarum libro †XIX. delubrum esse dicit aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi praeter aedem area sit adsumpta deum causa, ut in circo Flaminio Iovi Statori aut in quo loco dei dicatum sit simulacrum, ut in quo figunt candelam, candelabrum appellant, sic in quo deum ponunt, delubrum dicant ... Masurius Sabinus delubrum, effigies, a delibratione corticis; nam antiqui ... formabant ... alii delubrum dicunt templum ab eo quod nulli iunctum aedificio pluvia diluatur.* Adde Serv. in h. l. et in Aen. IV 56. Accedit qui summi momenti est propter ea, quae de horum verborum differentiam apud Hieronymum diximus, Pseudasconius, qui vocatur, scholiasta, quem cum Donato cohaerere infra probabimus, in Cic. div. in Caec. § 3. Aliter Probus explicat in appendice Gr. L. IV p. 202, 23/24 K. Concludimus Hieronymum Donatum de his quaestionibus disserentem audivisse.

22. Hier. in Is. 66, 18/19 l. 18 M. 24. 667 A **817**: Lud autem Lydos vocant, quorum coloni Hetrusci, qui nunc Tusci appellantur, quondam mittendarum sagittarum peritissimi et nunc dicuntur 'tendentes sagittam'. Serv. Dan. in Aen. II 781: **Tusci enim a Lydis originem ducunt;* cf. in Aen. X 164 et Serv. in Aen. II 781.

23. Hier. in Mich. 6, 1/2 l. 2. M. 25. 1207. B **501**: Fortia et antiqua fundamenta terrae, quorum causa hucusque terra non praeterit et super inane pendens librata consistit, iustorum merita sunt; cf. in l. c. Ioa.

Hieros. 35 M. 23. 388 B **445**: quid est maius tantam terrae magnitudinem [appendere] (non in codd.) super nihilum, et super aquarum incerta librare. Serv. Dan. in Aen. II 296: *quod in medio mundo librata vi sua stet et ignem intra se habeat.* Serv. in Aen. III 113: terra, quae pendet in aere... mundus rotatur et volubilis est; in georg. I 235: terram enim dicunt undique caelo et aere cingi. Cf. Firm. Matern. Math. l. VI praef. p. LXXXIX col. 1 ed. princ.

24. Hier. in Is. 19, 19—21 l. 5 M. 24. 186 A/B **208**: In die illa.] Diem autem pro tempore accipe. Serv. Dan. in Aen. II 324: *'dies' autem si feminino genere ponatur, tempus significat, ut* ⟨V 783⟩... *si masculino, ipsum diem, eqs.* In hunc vero versum ⟨V 783⟩ Servium legimus de hac re disputantem: LONGA DIES id est *longum* tempus: de quo licet melius feminino genere dicamus, tamen et masculino dicimus: nam de certo die masculino tantum utendum est; Serv. Dan. in Aen. II 554: *ut 'dies' si tempus longum significat, generis feminini est.* Pseudasconius in Cic. Verr. act. I § 6: Dies feminino genere tempus, et ideo diminutive diecula dicitur breve tempus et mora. Dies horarum duodecim generis masculini est, unde hodie dicimus quasi hoc die; cf. Serv. Dan. in Aen. II 324: *adverbio 'hodie,' non 'hac die'.* Don. ad. Ter. Ad. IV. 2, 45. Th. Stangl, Pseudoasconiana (1909) p. 49. Dubium non est, quin Hieronymus hanc doctrinam noverit et l. l. tetigerit.

** 25. Hier. in Ierem. 10, 3—5 l. 2 M. 24. 747 B **911**: Solent enim plerique gentilium daemones colere, ne noceant, et alios exorare, ut praestent beneficia. Unde et illud Virgilianum est ⟨Aen. III 120⟩. Serv. Dan. in h. l.: *nam et Romani veteres diis asperioribus sacrificabant ne nocerent.*

26. Hier. ep. 14, 10, 1: 'laetantium more nautarum epilogi celeuma cantandum est'. Hieronymus verbum celeuma etiam ad calcantes in torculari transfert in Is. 17, 10 l. 5 M. 24. 173 A **191**. Serv. Dan. in Aen. III 128: *NAUTICUS et reliqua. celeuma nauticum est hoc hemistichium.* Serv. in h. l.: celeuma dicunt. Cf. C. Gl. IV 33, 47 celeuma canticum nautarum. Saepe apud Servium Danielis, raro apud Servium aliquid ad rem nauticam pertinere annotatur: in georg. IV 420: *et 'deprensis' verbum proprie nauticum, cum tempestate occupantur;* quod exemplum Servius affert in Aen. V 52: 'DEPRENSUS occupatus; et poprie navigantum est, ut ⟨georg. l. l.⟩', sine dubio secundum Donatum, qui Georgica ante Aeneida interpretatus est; in Aen. I 534: *et 'cursus' verbum nauticum est, ut* ⟨Aen. IV 46⟩; III 275: *nauticum verbum... ut* ⟨530⟩. V 1: *nautico usus est verbo, ut* ⟨IV 46 et III 686⟩; XI 327: *COMPLERE VALENT proprie verbum*

nauticum: nam graece πλήρωμα dicitur. Serv. in Aen. V 159: nauticum verbum; IX 97: nautico usus est verbo, cum de navibus diceret; XII 693: et est translatio a nautis.

Eiusdem studii magnus numerus annotationum invenitur, quibus voces certis ordinibus temporibusve assignantur, velut apud Serv. Dan. in georg. I 101 *et est carmen rusticorum antiquum;* in Aen. IV 93 *translatio rei militaris...;* X 241 *antiquo verbo militiae usus est;* XI 703 *proprio verbo usus est, ut est mos equestris...;* XII 364 *quidam pro 'pavidi' accipiunt: 'consternati' enim 'equi' dicuntur;* XI 327 *MATERIES antique dictum: nam materiam dici debere multi adserunt;* VIII 731... *NEPOTUM... hunc versum notant critici quasi superfluo et humiliter additum nec convenientem gravitati eius: namque est eius magis neotericus;* X 192 **CANENTEM SENECTAM pro albo colore neoterice dictum putant*;* XI 590 *et neotericum putatur ipsum 'sagittam ultricem';* XII 605 de varia lectione FLAVOS vel FLOROS: *Probus sic adnotavit: neotericum erat 'flavos', ergo bene 'floros'* — apud Serv. in Aen. XI 453 ... militaris vox ...

27. Hier. in Soph. I 17/18. M. 25. 1356 A/B. **695**: Sanguis igitur hominis τὸ ζωτικὸν αἶτος, id est vitale, quo vegetatur et sustentatur et vivit, debet intelligi. Serv. Dan. in Aen. IV 2: *nam in sanguine anima, in anima amor est.* Serv. in Aen. II 532: modo eos sequitur, qui sanguinem sedem vitae volunt, alibi eos, qui ipsum sanguinem vitam volunt, ut ⟨IX 347⟩; cf. in v. 639: nam dicunt physici minui sanguinem per aetatem, unde et in senibus tremor est, in VI 884, IX 346.

28. Serv. Dan. in Aen. IV 35 in p. 9 protulimus.

29. Hier. ep. 23, 4: non virgae, id est potentiae saecularis, quaeratur auxilium. Cf. ep. 65, 13, 4. Serv. Dan. in Aen. IV 242: *Virga vero insigne potestatis est, nam ideo ea et magistratus utuntur; dicta quod vi regat.* Cf. Heraeum in Hermae vol. 34. (1899) p. 167.

30. Hier. ep. 64, 10, 1: Discamus primum communes sacerdotum vestes atque pontificum. lineis feminalibus, quae usque ad genu et poplites veniunt, verecunda celantur et superior pars sub umbilico vehementer adstringitur: ut, si quando expediti mactant victimas, tauros et arietes trahunt, portant onera et in officio ministrandi sunt, etiam si lapsi ruerint et femora revelarint, non pateat, quod opertum est. Inde et gradus altaris prohibentur fieri, ne inferior populus ascendentium verecunda conspiciat. Serv. Dan. in Aen. IV 646: *sane quidam volunt, Vergilium ubique Didonis tamquam flaminicae facere mentionem: apud veteres autem flaminicam scalas plus tribus gradibus nisi Graecas scandere non licebat, ne ulla pars pedum eius crurumve subter conspiceretur, eoque nec pluribus gradibus sed tribus, ut in*

ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem aut nudari crura. nam ideo et Graecae scalae eliguntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausae sint, ne aspectum ad corporis aliquam partem admittant....

*31. Hier. ep. 2, 4: 'maria undique circumdat et undique pontum' ⟨Aen. V 9, sed paulo aliter⟩: nunc in medio constitutus elemento.... Serv. Dan in h. l.: ... *ET UNDIQUE CAELUM ecce vere nunc est medium mare.*

32. Hier. in Amos 4, 7 sq. l. 2 M. 25. 1029 C. **272**: ... luna, quae Hebraice IARE, Graece μήνη dicitur, iuxta utramque linguam ex suo nomine mensibus nomen dedit et solis illustratur radiis ab ea parte, qua ei vicina est, vel plus vel minus pro varietate temporum lumen accipiens. Serv. Dan. in Aen. VIII 23: ... *quoniam luna lumen de sole mutuatur.* Serv. in h. l.: negant omnes physici lumen lunae aliud ex se reddere; et vituperatur....

33. Hier. in Is. 14, 10 l. 6 M. 24. 211 B/C **240**: ... Esse autem etiam per diem stellas in caelo probat solis deliquium, quod quando umbra terrae, ut philosophi disputant, et obiecto orbe lunae fuerit obscuratus, clariora in caelo astra videantur. Serv. Dan. in Aen. VIII 59: *'primum cadentibus astris', cum primum nox occiderit. et dictum iuxta vulgarem opinionem, tamquam oriente die occidant astra.*

34. Hier. in Ion. 1, 8 M. 25. 1126 D. sq. **399: Et notanda brevitas, quam admirari in Virgilio solebamus: ⟨Aen. VIII 112—114⟩. Interrogatur persona, regio, iter, civitas. Serv. Dan. in v. 113: ... *et bene breviter, sed frequentius interrogationibus eos urget, ut...;* Serv. in v. 112: succincta et plena interrogatio, cui per singula respondet Aeneas.

35. Hier. in Matth. 15, 29/30 l. 2. M. 26. 111 A. **117**: 'In eo loco, ubi Latinus interpres transtulit 'debiles', in Graeco scriptum est κυλλούς, quod non generale debilitatis, sed unius infirmitatis est nomen: ut quomodo claudus dicitur, qui uno claudicat pede: sic κυλλός appelletur, qui unam manum debilem habet. Nos proprietatem huius verbi non habemus.' V. 31 incipit 'De κυλλοῖς'; cf. C. Gl. V 417, 13. Serv. Dan. in Aen. VIII 138: *namque graece κυλλούς aliqua mutilatos parte corporis dicunt.*

36. Hier. tract. de ps. 96. A. M. III 2. 143, 4—7: Dicunt philosophi, quod fulgora ex nubium conlisione generentur. Nisi enim prius sonitus auditus fuerit, fulgora non prospiciuntur. Hoc dicitur et de lapide ignario: quia nisi conlisi fuerint, medius ignis non egreditur. In tract. de ps. 146 ibid. p. 296, 16/17: Nubes istae, si sibi conlisae fuerint, tonitruum faciunt et fulgora. In translat. Origenis in Ierem. homil. 5.

M. 25. 629 C. **797/98**: 'Aiunt naturalium causarum scrutatores, quia fulgura ex nubium collisione generentur in morem silicum duriorum, quos cum comploseris sibi, medius ex his elabitur ignis; atque ita cum fulgure pariter et tonitrua mugire; tonitruo scilicet sonitum indicante concussus et fulgure excussi luminis claritatem.' Haec verba redeunt apud Isidorum, or. XIII 9,1 et in ep. ignoti apud M. 30. 119 D, qui 'concursus' pro 'concussus' legerunt. Servii in Aen. VIII 392: ... nubes vento coactae plerumque rumpuntur et ex se fulmen emittunt. *quamvis philosophi fulgura et tonitrua simul exprimi dicant, sed illud celerius videri, quia clarum est, tonitrua autem ad aures tardius pervenire ...;* in Aen. I 42: secundum physicos qui dicunt conlisione nubium fulmen creari. *et indignatur Iuno ...;* 743: ... ex nubium conlisione. nam omnium rerum conlisio ignem creat, ut in lapidibus cernimus, vel attritu rotarum, vel in silvis arborum. IV 209: ... *an quorum rationem ignorantes timemus.* Alii enim de ventis dicunt *fieri,* alii de nubibus, alii de aëre *fulmen*; VIII 431: ... *inferant et* per sonitum tonitrua ostendit, per metum fulgetras, et hunc ordinem sic posuit, ut hominibus videtur: nam re vera prior est conlisio nubium, unde ignis emicat: nos autem ideo prius fulgetras videmus, quam tonitrua audiamus, quia velocior oculorum, quam aurium sensus est.

37. Hier. in Abacuc 3, 11 sq. l. 2. M. 25. 1323 B. **652**: phantasiae suae, id est umbrae et imaginis. — Serv. Dan. in Aen. VIII 557: *Ergo ut solet imaginem τὴν φαντασίαν, ut est* ⟨II 369⟩...

38. Hier. in vita Hilarionis 20 M. 23. 36 D — 37 A **22**: Sed et Italicus eiusdem oppidi municeps christianus adversus Gazensem duumvirum, Marnae idolo deditum, Circenses equos (al. circi equos curules) nutriebat. Hoc siquidem in Romanis urbibus iam inde servabatur a Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum Conso, quasi consiliorum deo, quadrigae septeno currant circumitu; et equos partis adversae fregisse victoria sit... — Serv. Dan. in Aen. VIII 635: ... *Romulus ... a vicinis civitatibus matrimonia postulavit, sed ab eis contemptus celetes se Neptuno, equestri deo, qui et Consus dicitur, editurum proprosuit. ad quos celetes, cum de vicinis civitatibus maxima multitudo cum omnibus feminis convenisset, Romulus eas signo dato rapi de spectaculo fecit ...;* Serv. in Aen. VIII 636. Pseudasconius in Cic. act. I in C. Verrem § 31. Cf. Livius I 9, 6/7. Gessnerus in opusculo de Servio et Pseudasconio horum commentatorum locos tractat p. 25—27, quos non prorsus congruere statuit. Servius imprimis eos impugnat, qui ludos Romanos sive ludos Megalesiacos eosdem putabant atque magnos Circenses. Quod parum ad sententiam Gessneri quadrat Pseudasconium Servii discipulum atque imitatorem fuisse ita, ut ipse concludat p.

26/27: Wir können höchstens annehmen, dass Pseudo-Asconius den Servius neben andern Quellen benutzt, aber ungenau und verworren. Hieronymo et Serviis congruentibus Donatiana recuperamus; atque de Donato aliquo modo etiam Pseudasconium pendere credimus, qua de re infra loquemur. Quin etim Servium pugnare non mirum esset, si contra Donatum pugnaret, quem saepissime adhibuit, vituperavit saepissime.

39. Hier. in Math. 24, 28 l. 4 M. 26. 179 C **197**: ... corpus, id est πτῶμα, quod significantius Latine dicitur cadaver, ab eo quod per mortem cadat. Cf. Tertullianum in libr. de carnis resurrectione II 18 et Augustinum in libr. de civ. dei 20, 10 initio et in quaest. in heptateuch. libr. III, 20 — Serv. Dan. in Aen. XI 143: *alii, sicut Varro et Verrius Flaccus, dicunt: si filius familias extra urbem decessit, liberti amicique obuiam procedunt, et sub noctem in urbem infertur cereis facibus praelucentibus, ad cuius exsequias nemo rogabatur. sane haec corpora sive proici iubebantur, a cadendo, sive quod sepultura carebant 'cadavera' dicta.* Similiter Donatus in Ter. Andr. v. 108 et v. 115 de funeribus verba facit. Praeterea afferri possunt annotationes duae, eiusdem altera in Ter. Hec. 441, 4: ... *Potest et R pro D poni. ut caro sit dicta, quasi cado. ut Vergilius ⟨Aen. VI. 481/82⟩ 'belloque caduci Dardanidae'*, altera Serviorum in eundem versum Aeneidos: *CADUCI qui bello ceciderunt, id est* mortui, a cadendo: unde et cadavera dicta.

E chronicis afferimus verba p. 147 m. Sch.: Gaius Asinius Gallus orator Asinii Pollionis filius cuius etiam Vergilius meminit diris a Tiberio suppliciis enecatur.

Serv. Dan. in ecl. IV 11: *quidam Saloninum Pollionis filium accipiunt, alii Asinium Gallum, fratrem Salonini .... Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert ...*

Transimus ad locos, quibus idem interpretandi modus et finis ostenduntur. Primo loco eos tractamus, ubi Hieronymus cum Servio Danielis solo, tum eos, ubi etiam cum Donati commentariis Terentianis congruit. Ad partem priorem explicationes pertinent, quas modo tetigimus sub nr. 15 de prolepsi, 18 de catasterismis, 26 de verbis ad certos ordines sive certa tempora relatis. Ad hos prope accedunt Hieronymi verba, quibus Vergilium patriae vocabula retinuisse atque rationem tulisse docet; cf. diss. Lips. Zwickeri de vocabulis et rebus Gallicis sive Transpadanis apud Vergilium 1905, impr. p. 55/56; ep. 121, 10 M 22. 1030. **879**: Multaque sunt verba, quibus iuxta morem urbis et provinciae suae familiarius apostolus utitur. E quibus exempli gratia pauca ponenda sunt ... ⟨1 Cor. 1⟩ ... ⟨Rom. 6,19⟩ ... ⟨2 Cor. 12⟩ ... Quibus et aliis multis verbis usque hodie utuntur Cilices. Nec hoc

miremur in apostolo, si utatur eius linguae consuetudine, in qua natus est et nutritus, cum Virgilius, alter Homerus apud nos, patriae suae sequens consuetudinem sceleratum frigus appellet ⟨georg. II. 256⟩. Quae addas Zwickeri p. 55—57. — Apud Servios nihil in h. l. annotatur, nisi SCELERATUM nocens, omnia exurens. Hieronymus similiter vocis Palaestinensium ἀρκτομῦς rationem fert in ep. 106, 65 M. 22. 861/62. **670**.

Serv. Dan. in georg. I. 104: COMMINUS A. I. statim, sine intermissione. *non est ergo 'ex propinquo.' qui significatus frequentissimus est in cisalpina Gallia; vulgo enim dicunt 'vado ad eum, sed comminus': unde Vergilius magis patriam consuetudinem videtur secutus . . .;* ibid. 109: *ELICIT ab eliciendo. et apud antiquos et hodieque in aliquibus provinciis elices appellantur sulci ampliores ad siccandos agros ducti, unde poeta ipso verbo uti voluit: nam et scrutatores vel receptores aquarum aquilices dicuntur. †barinulas dixerunt.* Serv. in Aen. VII 705: sciendum tamen Vergilium secundum morem provinciae suae locutum, in qua bene canentes cycni rauciores vocantur.

Iidem similia de Vergilio homine docto proferunt: Hier. in eccles. 10. M 23. 1091 A. **469**: Quae quidem secutus idem philosophus et poeta ait ⟨Aen. VI 541—43⟩ . . .; ep. 129, 4 M 22. 1104, **972**: . . . et quorum facit poeta eloquentissimus mentionem ⟨Aen. IV 42/43⟩. Serv. Dan. in ecl. 6,43 *per transitum rem veram tetigit; 8, 68 Vergilius, peritus antiquitatis;* in georg. I 269 *et non sine causa hoc dictum a Vergilio, gnaro totius sacrorum ritus, ponitur;* in Aen. III 463 *poeta divinus peritiam suam inventa occasione semper ostendit;* Serv. in Aen. I 443 historia hoc habet, quam more suo Vergilius per transitum tangit; 601 meminit historiae; IV 676 adludit ad historiam; VI praef. Totus quidem Vergilius scientia plenus est; VII 715 et scimus amare Vergilium historiarum rem per transitum tangere; XI 186, 235, 259, 351 etc. perite; XII 844 per transitum historiae usus est verbis (affert Sallustium). Hac sententia factum est, ut commenta Vergiliana scientiae copia ceterorum scriptorum explicationibus praestent.

In parte, quae de commentario Terentiano erat, Hieronymi et Donati praecepta pronuntiandi composuimus: tertius accedit Servius Danielis, raro Servius. Serv. Dan. in ecl. 5, 82: *maior emphasis;* 8, 32: *ergo sic pronuntiandum, ut habeat contemptum;* in Aen. I 617: *et hoc admirativum, non interrogativum;* II 79: *in nomine quaedam emphasis;* 394: *emphasis properantium;* 404 *ἐμφατικῶς;* III 47: *adfirmative;* 295: *hoc totum cum admiratione pronuntiandum est; 345: ut femineos monstraret affectus;* IV 93: *singula autem hic pronuntianda sunt et . . .; 103: eloquenter, ἐμφατικῶς.* 358: *et singula legenda sunt haec;* 408:

totum hoc magna prosphonesi dictum est; 664: *tragico exemplo;* V 12: *ἐμφατικῶς hoc est.* IX 56: *vehementius 'viros' pronuntiandum;* 82: *iteratione auxit adfectum;* 219: *totum iunctim legendum est, ut..,* 402: *et in repetitione .. maior emphasis videtur;* X 72: *interrogatio;* XI 163: *vehementius pronuntiandum;* 258: *et adiuvandum pronuntiatione;* 265: *et pronuntiandum, ut longinquitas doceatur exilii;* 303: *adiuvandum pronuntiatione;* 453: *nam praeter vocem, gestum etiam flagitantis expressit, nec est superfluum 'manu', ut quidam volunt;* 715: *sane subito, ut solet, ad characterem dramaticum transit.* Serv. in Aen. II 643: ἐμφατικῶς; 657: pronomina emphasin habent; 731: haec singula pronuntianda sunt; III 201: emphasis pronominis, cf. Serv. Dan. in Aen. III 558; 337: cum admiratione dictum est; 324: singula habent enfasin suam; 628: a solo nomine emphasin fecit; VII 399: ... et est tragicus sermo; IX 596: emphasis est; XII 577: et haec simul pronuntianda sunt, ut...

Donatum talia curasse praeterea e Servii ann. in ecl. II 17 apparet: 'bene dicit Donatus suspendendum 'o' et sic dicendum 'formose puer', ut intellegamus per iram eum aliud voluisse dicere, sed in haec verba, ne Alexin offenderet, amoris necessitate compulsum'.

Prope accedunt scholia rhetorica apud Servios, quae, quod attinet ad locos Servii genuini, in universum Donato deberi Laemmerhirtius probavit. Comm. Ien. IV (1890) p. 355. Serv. Dan. in ecl. 7, 24: *et apostropham;* in georg. I 104: *oratorium schema quaedam recusare;* Aen. I 520: *definitio oratoris;* 522: *controversiae;* 664: *persuasoriae;* II 69: *controversiae schema;* 86: *oratorie;* 135: *sane in arte rhetorica omnem narrationem...* 141: *et finita narratione subiungit epilogos...* 638: *rhetorica suasio est. partes...* 657: *rhetorice;* III 39: *auditorem attentum vult facere;* 613: *rhetorice;* IV 314; 361; VIII 127: *et est rhetorica persuasio;* cf. 131; 150; 374: *rhetorica suasio;* cf. 376; 385; IX 124: *et hoc colore futuram orationem ostendit;* similiter XI 251 et XII 10, 18 et Serv. in Aen. XI 377, 534 XII 807; IX 155: *ergo hortativa est oratio;* 444: *prosphonesis;* item X 139, 791; X 36: *accusatio;* 230: *sane declamatorie hos versus explicuit;* 524: *venia. omnes locos... complectitur;* XI 125: *et est oratorium, non invenire paria verba;* 243: *rhetorice. oratio... cuius partes duae;* 256: *oratorie;* 378: *rhetorice... sed haec in sequentibus singulatim tractanda sunt.*

Serv. in Aen. I 522; 539; 606; II 46: dissuasorie; 56: apostropha; III 718: controversiarum more epilogos dedit eqs.; IV 2, 284, 333: controversia est plena; 364: invectio; V 28: declamatio; 687: figuratis agit coloribus; 847: et est rhetoricus locus; 875; VII 535; VIII 373;

483; IX 131; 134: sed in arte rhetorica; 479: conquestio secundum praecepta Ciceronis; 611: vituperatio secundum praecepta Ciceronis. X 18: Titianus et Calvus, qui themata omnia de Vergilio elicuerunt et deformarunt ad dicendi usum, in exemplo controversiarum has duas posuerunt adlocutiones ...; cf. in v. 532: qui in Vergilium scripsit declamationes ..., 38, 55, 74; XI 508; XII 503: apostropha *cum exclamatione* ad Iovem; 931; in ecl. IV 18: rhetorice digesta laudatio; in georg. II 136: laus Italiae ... secundum praecepta rhetorica; IV 1. Adde quod Servii testimonio huius generis scholion Donato vindicatur, in georg. IV 150: 'nam, ut etiam Donatus dicit, tragicum est.' Annotationes Servii Danielis plerumque accuratiores sunt.

Neque fragmenta iuris apud Servios desunt: Serv. Dan. in georg. I 31: *de nuptiis,* cf. Serv. in h. l.; Serv. Dan. in Aen. IV 103; Serv. ibid. in v. 214. Serv. Dan. in georg. I 264 *Aelius Gallus de verbis ad ius civile pertinentibus;* in Aen. III 607 et saepe *ius pontificale;* II 424, cf. Don. ad Ter. Eun. I 1, 9. IV 58 *thesmophoria autem vocantur legum latio. an quia in aede Cereris aere incisae positae leges fuerunt?* 305, 308, 327, 468. XI 476 *de matronae et matris familias differentia;* 842 *iuris verbo usus est ...* XII 727 *nam in iure cum dicitur 'damnas esto';* 836 ... *ipso titulo legis Papiriae usus est, quam sciebat de ritu sacrorum publicatam.*

Plura vero Servius praebet, qui bis in his rebus Urbanum commemorat: in Aen IV 624 Urbanus dicit verbo eum iuris usum propter odia hereditaria; VI 609 AUT FRAUS INNEXA ... ex lege XII tabularum venit ... Urbano tamen hoc displicet et dicit ...

Contra apud Servium Danielis crebrius morem scriptoris laudandi atque defendendi observamus, quem supra de Hieronymo et Donato tetigimus. — Serv. Dan. in georg. I 146 *bene* = 273, 274; III 127 *et aliter: mire ...,* 455; IV 244; in Aen. IV 181; VIII 113, 495, 713 *bene ergo poeta adicit;* IX 228, 255 *pulchre poeta,* 355 *mire;* X 524; 670 *bene variavit;* 692 *bene repetitur;* XI 11 *quod valde quaeritur an bene;* XI 159, 218, 221, 245; XII 275, 525. Serv. in Aen. I 483; II 529 bonum schema; VII 463, 487, 512, 715; VIII 102; IX 1 quidam culpant nescientes Vergilium prudenter iunxisse ..., 197; X 60; XII 715, 833; in ecl. IV 18.

Quibus inter se compositis, si de tempore Pseudoservii similiter sentimus atque Georgius Thilo, qui p. LXVII praefationis de septimo saeculo cogitat, concludimus, cum Donati discipulus et is, qui Donati opere usus est, congruant, nova Donati vestigia indagata esse. Sed cum sic Hieronymum cum commentariis Donati in Terentium, Servii Danielis Serviique in Vergilium conferremus atque iterum iterumque

opera horum grammaticorum volveremus, admirabamur, quot rebus scholia Danielis prope accederent ad Donati in Terentii fabulas interpretationes. Neque Thilonis de origine commentarii Danielis sententia — cf. praef. p LXVI et LXVII —, neque locis christiani coloris, velut in Aen. IV 200 p. 499, 22 — cf. Thilonem p. LXIV secundum Burmannum — codicis Floriacensis scholio, quod deest in Turonensi, et in Aen. IV 301 p. 518, 4 — cf. ibid. p. LXVII — explicatone impediti sumus, quominus scholia Danielina in universum reliquias commentarii Donatiani esse nobis persuaderemus atque accuratius demonstrare nobis proponeremus. Feriis confectis Caroli Barwick dissertatione, cui inscripsit Zur Serviusfrage et quam in Philologi vol. 70, n. s. 24 (1911) fasc. I p. 106—145 legimus, partem negotii absolutam esse cognovimus. Qui Thiloni obstitit scholia Danielis non tam medii aevi temporibus, ut ille censuerat, congesta esse, quam unius vetustioris commentarii vestigia praebere — v. p. 109/10 et 144 — demonstrans. Restat igitur nobis, ut eas commentarii vetustioris reliquias Donato tribui posse probemus. H. A. Lion in commentariorum Vergilianorum editione, quae Gottingae a 1826 prodiit, praef. p. VII/VIII primus, ut videtur, animadvertit Servii Danielis locis in Aeneida scriptis legentibus in mentem revocari, quae ad bucolica et georgica annotata essent: unde elucet scholiastam Danielis bucolica et georgica ante Aeneida interpretatum esse. Eodem autem ordine usus est Donatus; nam huius viri docti vita Vergilii bucolicorum explicationem antecessit, v. Thil. p. XVII et ann. alteram.

Nomen Donati, quantum quidem scimus bis occurrit apud Servium Danielis. In codice enim Turonensi ad Aen. I 179 secundum Thilonem p. XV ann. 1. hoc scholion ascriptum est: '*Donatus dicit histeroproteron esse id est ordinem permutatum. primum enim frangitur frumentum mola, deinde torretur id est quoquitur. sed servius dicit non esse*' eqs., ubi igitur Servius, cum dicat 'multi', Donatum more suo impugnat in hunc locum: 'multi hysteroproteron putant, non respicientes superiora, quia dixit undis eqs.' Alterum locum in eodem codice in margine ad Aen. IV 207 positum reperimus in apparatu critico: '*leneus dicitur non a leniendo sicut donatus dicit sed apotis lenu* (*leg.* ἀπὸ τῆς ληνοῦ), *id est a lacu in quo premitur*': De his locis postea accuratius agemus: nam alibi in toto commentario Donati nomen non occurrit.

Nunc plura Servii Danielis Donato tribuimus, in quo negotio statim aliquot libri glossarum locis adiuvamur. In earum glossarum numero, quae illic nomen Donati prae se ferunt sive ei aliquo iure attribui possunt, sunt, quae cum Servio Danielis consentiant. Quas primus

Georgius Goetz contulit l. l. in dissertationis de libro glossarum p. 277 sq., unde singulas, quae huc pertinent, notare satis habemus. In p. 277 sub nr. 1 glossa, quae nunc legitur in C. Gl. V 174, 10 confertur cum annotatione in georg. III 305; accedit, quod Servius Danielis in h. v. Terentium adhibet; in p. 278 sub nr. 13, nunc C. Gl. V 250, 14 cum ann. in georg. I 164; in p. 280 in glossa interpretatio exsistit, quam Servius genuinus repetit in Aen. II 211; cf. in ecl. V 82; in glossa simul verba Sallustii ⟨fr. inc. 2 M.⟩ afferuntur, quae redeunt apud Serv. Dan. in Aen. IX 486 in explicatione rei simillimae; glossa nunc exstat in C. Gl. V 244, 24. Etiam rei tam exiguae aliquid tribuendum esse concedet, qui, quanti momenti loci Sallustiani apud Donatum fuerint e commentario in fabulas Terenti cognoverit; v. p. 52; quos num ex Aspri opere, quo Servius secundum Laemmerhirtium usus non est, a Donato deprompta fuerint, hac quidem in re non curamus. Eiusdem generis observationes legis apud Servium Danielis in ecl. VI 77; Serv. et Serv. Dan. in v. 20; in Aen. III 350; VIII 359; XI 861 *licitum poetae, nomen pro adverbiis aut participiis ponere;* apud Servium in Aen. VI 104, 484; VIII 588; XI 713; XII 312; georg. III 5. Subsequuntur glossae, quae iure, licet nomen desit, Donato vindicantur. Prior, nunc C. Gl. V 252, 6, cum scholio Serv. Dan. in georg. I 166 congruit, quod Goetzius iam antea in script. hebdom. philol. Berol. 1888 col. 304 statuerat; cf. Heraeum in Hermae vol. 34 (1899) p. 172/3.

Ipsius Donati opera aggredimur: scholion Servii Danielis in Aen. I 560: DARDANIDAE *haec hemistichia Vergilius† nominabat, quae in emendando carmine fuerat repleturus* ad verba, quae legimus in Donati vita Vergilii p. 737, 2 sq. H. pertinet: Ac ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta transmisit, alia levissimis versibus veluti fulsit, quos per iocum pro tibicinibus interponi aiebat ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent. Servius Danielis ad talem versum, Aen. II 787, docet: *sane hunc versum quidam ita supplevit 'et tua coniunx';* cf. Don. vit. Verg. 739 l. 11—14 H.: . . . ut, qui versus etiam imperfectos sicut erant reliquerit, quos multi mox supplere conati non perinde valuerunt ob difficultatem, quod omnia fere apud eum hemistichia absoluto perfectoque sunt sensu praeter illud ⟨Aen. III 340⟩ 'Quem tibi iam Troia'; cf. p. 738, 7—11 H. Unde Serv. in h. v. tradit: 'hemistichium nec in sensu plenum. sunt autem duo talia; hoc et ⟨VIII 41⟩ . . ., quem quidam ita complevit . . .' et in VIII 40 . . . *sed* aliqua hemistichia in Vergilio tam sunt sensu imminuta, quam verbis . . .

Donati in fabulas Terentii commentarios iam Thilo respexit, ita, ut locos inter Servium Dan. — et Servium, quod hic non curatur — et

istum commentarium similes Donato tribueret in praef. p. XXI/XXII. Quorum inter se similitudinem multo latius patere nemo negabit. Quod exempli gratia attinet ad scriptores apud Servium Danielis adhibitos, ii imprimis occurrunt, quos Donatus praeter ceteros commemorare solet, Plautus, Sallustius, orationes Ciceronis, praecipue Verrinae, praeterea Terentius. Additur tabula scriptorum in eclogas atque georgica a Servio Danielis allatorum in p. 53—56. At iidem apud Servium creberrime leguntur! Sane; num forte aliter hoc φαινόμενον explicandum est, nisi Servii fonte — ne locos Sallustianos quidem recta via ex Aspri opere fluxisse probari potest, v. Laemmerhirtii p. 392 sq. — quippe qui Donatum usurpaverit. Unde quod huiusmodi loci numero praestare videntur, mirum non est: exemplo utamur. Verrinae afferuntur, si nihil fugit, apud Servium duodequadragies, apud Servium Danielis novies, apud Donatum in commentario Terentiano quinquagies septies: sine dubio igitur saepe in Donati scholiis Vergilianis occurrerunt. Ubi vero Donatum iam Servius praebebat, ipse non addebatur; de ratione, qua commentarii conexi sint, infra loquemur. Prorsus similiter res se habet in fragmentis iuris modo tractatis. Omnino quicumque Servium Danielis leget commentario Terentiano absoluto, simillimum, ut ita dicamus, tenorem admirabitur. Testimonio sint verba Barwickii p. 108.

Quin immo forma commentarii Danielini consilio Donati respondet, qui in ep. ad Munatium p. 154 W. de 'opere conlaticio' loquitur: 'Quid igitur adsecuti sumus? hoc scilicet, ut his adpositis, quae sunt congesta de multis admixto etiam sensu nostro eqs.' Unde saepissime scholia apud Servium Danielis exstant, in quibus sententiae variorum colliguntur. Vix testimoniis opus est; nonnulli huiusmodi loci occurrunt in iis quae sequuntur.

Cum supra ea protulerimus, in quibus Hieronymus et Donatus et Servius Danielis comparari possunt, liceat nunc, ut sententiam firmiorem reddamus, nonnulla afferre, quibus Servius Danielis egregie cum Donato solo faciat. Et in commentario Terentiano et saepissime apud Servium Danielis et apud Pseudasconium, qui accedet, rarius apud Servium interpretationes occurrunt formae *ordo est* sive *sensus est*, e gr.: Serv. Dan. in ecl. IV 24 *ordo autem est*, item VI 67, in Aen. X 10; ecl. IV 46 *ordo est*, item VI 18, 85; VIII 95. IX 55. ecl. VI 43 *ordo tamen est;* IX 1 *quidam hunc ordinem tradunt;* in georg. I 141; III 254, 280; IV 67, 99, 166, 208; in Aen. VII 419, VIII 378, IX 238 *alii hunc ordinem volunt;* X 605 *syllepsis est ordo;* 615 *quidam hunc ordinem esse volunt;* 797 *ordo est;* XI 232, 481, 502, 739; XII 475. in ecl. IX 2 *sensus autem talis est;* 11 *sensus tamen est;*

in georg. II 263, 393 *et erit sensus,* 434 *hic sensus est et haec subdistinctio,* 508; in Aen. XII 22 *sensus ergo est.* — Serv. in Aen. VII 346 figura hyperbaton; namque talis est ordo; X 454, XI 509, XII 74 aut enim ordo est . . . aut certe hoc dicit . . .; in ecl. V 71; in georg. I 260; IV 41, 127 — in Aen. IX 789 sensus hic est; XII 680 et est sensus, 694 et sensus hic est; in ecl. I 16; III 7 melius hic distinguitur . . . sensus autem est . . . — Don. in Adelph. III 1, 8 = 295, 2; in Hec. I 2, 39 = 114, 2; in Phorm. I 2, 74 = 124, 2 secundum quosdam ordo est; in Andr. II 1, 24 = 324, 3 Sensus est . . .

Praeterea bis Servii testimonio huiusmodi interpretationes Donato vindicantur: in Aen. VI 339 ʻquamquam Donatus esse ordinem velit eqs.' atque in georg. II 324 ʻDonatus vero ʻterrae' genetivum vult esse singularem, ut sit sensus mutata distinctione . . .' — Similiter ad verba poetae intellegenda scholia ponuntur, quorum genus optime significamus annotatione in Aen. III 658: *INGENS potest et superioribus et sequentibus iungi, ut sit ʻingens lumen'.* Ser. Dan. in ecl. VIII 107 *hoc non iungendum superiori;* in Aen. III 658, VIII 544 *ʻde more lectas' an ʻde more mactat';* IX 350 *utrum ʻignem extremum', an ʻdeficere extremum'?* 698 *et ferrum fixum et pulmonem fixum possumus accipere,* 725 *potest accusativus esse, potest et genitivus;* X 2, 21, 147; XI 425, 609, 680, 818; XII 319, 322, 446 *quidam ambiguitatem volunt, utrum ipse Turnus in aggere, an venientes ex aggere?* — Servii unum exemplum inveni in ecl. I 33 sane ʻpinguis' melius ad victimam, quam ad caseum refertur. — Don. e. gr. in Ad. prol. 2 = 2, 4; I 1, 5 = 30, 2; I 1, 12 = 37, 2; I 1, 18 = 43, 4. Donatum talia curasse apparet e scholiis Servii in georg. II 324 Asper simpliciter . . . Donatus vero ʻterrae' genetivum vult esse singularem, ut sit sensus mutata distinctione . . .; in georg. IV 345 secundum Donatum hic distinguendum est, ut ʻdolos' ad Vulcanum, ʻfurta dulcia', id est adulterium, referamus ad Martem; in Aen. IX 30 . . . hanc varietatem Donatus fugiens longum hyperbaton facit eqs.

Omnes fere loci, quos Servius Donati esse tradit, huiusmodi argutias, ne dicamus nugas continent, res minime mira apud grammaticum illius aetatis. Sic etiam morem Probi exaggeravit, qui ad locos explicandos ʻquaeritur' apponere solebat, quod identidem legimus in commentario Terentiano: in Phorm. II 3, 25 ʻmale loqui' pro ʻmaledicere'; et quaerit Probus, quis ante Terentium dixerit; cf. p. 22; et in Phorm. V 9, 16 quaerit Probus an . . .; atque apud Serv. in Aen. VI 177 Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt; X 18 hunc locum Probus quaerit; sed . . . Praeterea apud Servium talis annotatio raro exstat, permultae apud Donatum, cui, quas habet, debet, id est

apud Servium Danielis: in ecl. VI 67 *quaeritur cur pastor dixerit*; IX 23. in georg. I 130; II 460. in Aen. I 609. VIII 195 *et quaeritur quis hoc ante Vergilium dixerit?* 403. IX 179, 188. X 838. XI 326, 333, 342, 416, 601. XII 7 *sane 'latronem' venatorem quis ante hunc?* 351, 375, 449, 520, 522, 568, 587, 755, 768. Serv. in Aen. V 438, 626 una de quaestionibus insolubilibus. VI 177. X 18 in ecl. V 66. VI 41.

Quibus rebus absolutis, num, quae statuimus, ita se habeant, ut contendimus, alia via experiamur: Servium Danielis enim sententiis, quae certo Donati sunt, nusquam obstare necesse est. Soli, ut in quibus quid certi assequi potest, hic enumerantur loci, quibus Servius Donatum commemorat atque plerumque impugnat. Scimus ex epistula ad Munatium Donati commentaria opus conlaticium fuisse; itaque absonum non est apud Servium Danielis sententiis Donati, quas Servius commemorat, alteram sive tertiam adici. Hoc fit in Aen. II 557, ubi Servius etymologiam 'litus a litando' reicit, non curat eam, quam Servius Danielis addit ab 'lituus' vocabulo; certo, quia cum altera corruit. In Aen. III 636 quarta sententia suppletur, Donatianis haud dissimilis; num Servius ideo omiserit nescimus: certo inde nihil contra concludere licet. Item in Aen. IX 672 addita sunt, quae Servius non curavit, cum prorsus Cornuti sententiam amplecteretur, de quo loco infra accuratius agemus, item in Aen. XI 31. Causa in Aen. IX 544, testimonia in georg. I 198 et in Aen. IX 760 et XII 529 ad sententias Donati adduntur. Vides, quam facile hoc accidere potuerit, cum duo commentaria, ut putamus, v. p. 50/51, conecterentur. Bis vel ter etiam plane congruunt, id est bis leguntur sententiae Donati (cf. ibid.): in Aen. VIII 333; nam 'extrema' pericula significare tunc maxime commendatur, si 'pelagi' secundum Donati argutias intellegimus, nil dico novi inest in his verbis '*pro 'in pelago', aut pelagi pericula*', quo exemplo ratio conexi commentarii ita probatur, ut etiam suum lemma utrumque scholion retinuerit; in Aen. XI 762, ubi ne turberis verbis *quod supra dictum est*, quae, si erant apud Donatum, non ad sententiam Donati modo a Servio commemoratam referri possunt. Immo, ut Servius, Donatus quoque in versum 592 fusius, opinamur, de Arrunte locutus erat; in Aen. XII 365 uno verbo, cui nihil tribuimus, quod tamen omittendum non erat: errasse Donatum qui diceret 'Edonii' legendum Servius prodit, atque in codice Floriacensi legitur *Edonii* atque in lemmate ibidem *HODONII.* Denique non contradicit Servius Danielis in Aen. X 497.

Alteram partem aggredimur, quam de coniecturis Donati dicimus. In mentem revocamus ex ep. ad Mun. verba 'adpositis, quae sunt con-

gesta de multis, admixto etiam sensu nostro'; quem plerumque argutias excogitasse supra animadvertimus. Quas si Servius refutabat, nihilo secius e Donati opere conlaticio veterum sententias, quas probabat, haurire poterat. Ut diximus, Servium, nisi Donati, Urbani, Carmini opera, commentarios non inspexisse cum Kirchnero et Laemmerhirtio (p. 392/93) contendimus; unde afferuntur nomina inter se coniuncta 'Probus et Donatus' in Aen. VI 177, 'Probus, Asper, Donatus' in Aen. VII 543, 'Donatus et Cornutus' in Aen. IX 672. Donatum autem re vera, ut indicavimus, coniecturas edidisse colligas e scholio in Aen. IX 361 'nam Donatus dicit ... quod non procedit, si diligenter advertas; sane sciendum locum hunc esse unum de XII Vergilii sive per naturam obscuris, sive insolubilibus, sive emendandis, sive sic relictis, ut a nobis per historiae antiquae ignorantiam liquide non intellegantur'; cf. Serv. in Aen. V 626 coniectaneis reiectis 'ergo constat quaestionem hanc unam esse de insolubilibus, quas non dubium est emendaturum fuisse Vergilium.' et in XII 830 'locus de obscuris'; nihilominus hic quoque coniectura profertur 'de quo quidam hoc sentiunt', qua reiecta altera commendatur. Num putemus Donatum hanc doctrinam et nescivisse et tacendo praeterisse?

Etiam, ubi contra Donatum pugnat, Servius eius opere nititur in iis, quae probat. Testimonio est explicatio de agro antiquo in Aen. XI 316: An credamus eum, qui Trebatium consuluerit, Livii, Sisennae, Catonis sententias non curasse in his rebus auctoritate praevalentes, Servium demum in lucem emisisse? Immo hoc ita se habet, ut modo exposuimus, coniectura Donati reiecta ea probari, quae vulgo grammatici atque etiam Donatus docebant. Certo contrarias sententias commemoravit, quippe quas Servio in v. 318 teste causis refelleret, atque bene huc quadrant, si huius disputationis reliquiae sunt, verba Servii Danielis in v. 317 *potuit ergo usque ad Laurentum et ad Hostiam tendi;* reliquiae vero esse videntur; postea enim, secundum Servium in v. 316, minime addita sunt, cum Hostiae urbis nomen antea non occurrat. Item in Aen. XII 529 argumentum, quo Servius Donatum adoritur, iam apud Donatum praesto fuisse probatur verbis Hieronymi simillimis, v. p. 66. Hic quoque Donatum ita disputasse putamus, ut vulgari interpretationi suam opponeret. Eum artificiosas explicationes amasse supra ostendimus; cf. in Aen. XII 585. Similiter loci, qui sequuntur, intellegendi sunt. In Aen. VIII 373 Servius coniecturam Donati impugnat, coniecturam, si respicis verba 'potuisse fieri': 'nam quod dicit Donatus potuisse fieri, ut cum Anchisa concumberet Venus, antequam Vulcano nuberet, non procedit.' Servius Danielis hic nihil tradit; neque id, quod dicit in iis, quae sequuntur, contra Donatum

facit; scilicet in v. 383 '*ne foede apud maritum et amorem suum circa Anchisem memoret et susceptum de adulterio filium.*' Ne hic quidem Donatus propter ipsius coniecturam alienas sententias neglexerat. In prima parte scholion in Aen. IX 762 attulimus, quia testimonium ibi suppletur; quod huc repetimus; nam cum sententia vulgaris, quam Servius sequitur, apud Servium Danielis praecedat, accedit coniectura Donati, quam Servius reprehendit, more coniectantis applicata verbis *quamvis possit.* Porro in Aen. IX 672, ubi, qui commentaria conexuit, Donatum sive Servium Danielis priore loco posuit, more Donati, ut diximus, complures sententiae proferuntur. Quarum primam, Donati coniecturam, Servius carpit, insequentem, ut Donatus, probat illius nomine plane omisso — optimo iure; nam Cornuti erat sive ex alio eorum commentariorum, scilicet Urbani aut Carminii, quos adhibebat, didicerat Cornutum sic sensisse, sive, quod verisimilius videtur, si ea respicimus, quae modo de Kirchneri et Laemmerhirtii sententia diximus, etiam apud Donatum nomen Cornuti legebatur, et postea, ut facillime in scholiis, neglegebatur; adhuc exstat e. gr. apud Servium Danielis in Aen. X 547, una cum nomine Donati apud Serv. in Aen. IX 672; cf. p. 47. Adhuc more Donati coniecturae proferuntur, quibus auctor ipse opinionem vulgarem praefert, adhuc more Servii redarguuntur. At decebat profiteri iam Donatum Cornuti sententiam probasse; quod cum Servius non fecerit, apud Donatum non eadem legebat, quae nunc nos apud Servium Danielis.

Quamquam causas, quibus modo Donatum iuxta coniecturas suas plerumque argutiores aliorum explicationes respexisse probavimus, haud adeo debiles esse credimus, ut tali ratiocinationi locum dent, in parte tertia argumentum, quod contra 'decet' illud valet, tractamus. Nam cum in altera parte Donati coniecturas improbari, tamen aliorum sententias ex commentario Donatiano promi evicerimus, ad locum transimus ideo summi momenti, quia inde Donatum non sine ira et studio adhibitum esse discimus. Quamquam Thilo de hac re in praef. p. XXXI sq. sic disputat: 'similiter incuriae et properantiae, non malignitatis documentum esse puto, quod Aen. VII 1 Donato imputavit, quod ab eo alienum esse scholio ad eun. II 3, 21 adscripto ostenditur.' Atque, addas, scholio in georg. II 89, ubi iterum vituperasset, si Donatus, qui hunc versum affert ad locum Eunuchi, aliter sensisset. Neque incuriae, nedum properantiae quicquam tribuere debet is, qui et morem, qui anno 375 desiit et Alarici expeditiones in eodem commentario respici credit p. LXXII. Putamus Donatum plenius ad hunc versum disputasse, ut 'navigabilibus' illud re vera sensum haberet, sed ita, ut, qui eum reprehendere voluit, quo officio Servius diligenter fungitur, ut solent,

qui commentantur, hanc vocem ad 'nostris' applicare posset. Redeuntibus igitur nobis ad scholion in Aen. IX 672, si omnino vis inerat ratiocinationi supra significatae, eam apud Servium non valuisse concedetur. Scholion in georg. II 4 cum eo comparabitur, quod Turonensis in Aen. IV 207 servavit, p. 50. Ceteris locis apud Servium Danielis aut nihil exstat, aut non de iisdem rebus agitur, de quibus sententia Donati apud Servium profertur. Ut summam faciamus: Servius Danielis nusquam sententiis Donati contraria praebet; quin immo cum eo aut congruit aut additamenta adicit atque verbis Donati, quibus in ep. ad Mun. consilium suum enuntiat, respondet. Persuasum nobis est in uno quoque loco Servii Danielis idem ostendi posse, iis annotationibus omissis, quae, ut etiam in Servio genuino sunt nonnullae, postea additae sunt, velut christiani coloris, quas tetigimus, sive de lingua Theotisca in Aen. VII 741, atque, si opus erit, propositum est hoc instituere; nam hic pars de Servio Danielis non nimis amplianda est.

Barwickius commentarium circa annum 400 — nam typothetae errore 500 legitur — ortum esse p. 144 statuit. Accuratius tempora exponit p. 123: Somit wäre durch Avien und Donat ein Terminus post quem, ungefähr Mitte des 4. Jahrhunderts, gegeben. Quaeritur, num, si commentarius Donati esset, Festus Avienus afferri posset, cuius Aratea post Ciceronem, Germanicum, Gordianum redintegrata apud Serv. Dan. in Aen. X 272, ubi Servius eodem utitur, cuius aliud opus rerum gestarum secundum Livium iambis expressarum paulo post ad v. 388 commemorat, cum Aratea iterum respiciat in georg. I 488, adhibentur. Carmen autem Arateorum Hieronymus in ep. ad. Tit. I 12 seqq. M. 26. 572 B **706** anno 387 edito sic laudat: 'in Phaenomenis Arati . . ., quem Cicero in Latinum sermonem transtulit et Germanicus Caesar et nuper Avienus et multi, quos enumerare perlongum est.' Hinc sunt, qui carmen Avieni paulo ante hunc annum prodisse effecerint. Qui 'nuper' voci nimium tribuunt. Nusquam accurate suam aetatem indicat, cf. Zoeckler. p. 21/22, Gruetzmacher. p. 46/47; etiam in Chronicis errores temporum occurrunt, quos primus Scaliger in Thesauro temporum notavit. Qui sunt illi multi qui paulo ante hunc annum idem fecerunt? Bene 'nuper' dicit, qui ad Germanici aetatem respicit. Immo Hieronymum hunc librum iam pridem legisse ostendi potest, si non plane somnium illud Ciceronianum mentitus est, quod a. 374 vidit; v. ep. 22, 30. Zoeckler p. 45—50, 325/26. Schoene, Weltchronik p. 240. Gruetzmacher p. 153/54. Atque in ep. ad Gal. l. III praef. a. 389 edita, duobus igitur annis post commentarium in ep. ad Titum, sermonem his verbis excusat: 'Nostis enim et ipsae, quod plus quam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nun-

quam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit: et si quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur.' Unde verisimile fit sanctum presbyterum hoc opus astrologicum Avieni Stoici, qui Nortiam deam colebat, qui operibus suis gentes Nicomachos et Symmachos aemulatus fulciebat (v. Marxium apud Pauli-Wissowam vol. II 2, 2387 v. 54 sq.) adeo, ut gens Avieni hoc studium per saecula retineret (v. ibid. col. 2386, 50—56), ante annum 374 vidisse, fortasse etiam apud Donatum, cuius in schola astrologiam quoque, quam bis in serie disciplinarum affert, ep. 53, 6 et in libr. adv. Pelag. I 21. M. 23. 514 C **716/17** didicisse videtur: p. 63 sq. locum astrologicum Servii in Aen. VI 724 cum Hieronymo comparatum ad Donatum referemus. Sine dubio Donatus Avieni opus in commentario adhibere poterat.

Porro sententia de Servio Danielis sancitur similitudinibus ex Hieronymo supra prolatis.

Conectebantur autem commentarii Donati sive Servii Danielis atque Servii septimo saeculo secundum Thilonem praef. p. LXVII—LXIX atque Barwickium p. 145. Iis temporibus commentarium Donati adhuc exstare potuisse nemo negabit; aliquatenus, ut Thilo contendit p. XIV, testimonio sunt notulae codicis Monacensis 6394, olim Frisingensis 194, cf. Thil. p. LXXVI cum ann. 1, et scholia codicis Turonensis in Aen. I 179, cf. Thil. XV ann. 1, Serv. Dan. in georg. I 267 et in Aen. IV 207 cum apparatu critico, Serv. in georg. II 4. In his duabus cod. Turonensis annotationibus etiam nunc accidere videmus, quod per totum Servium pleniorem factum esse putamus. Atque optime grammaticorum tunc summi aestimatorum opera coniungebantur; is, qui compilavit, certo neutrum praetulit, cf. Barw. p. 128 et 132/135. Minime inde mirum est, quod Donatus nisi bis in Turonensi in scholiis fortasse operi confecto additis non commemoratur: non oportebat eum afferri, qui omnino exscribebatur — aliter Barw. p. 143. At ne Urbani quidem nomen occurrit. Utinam accuratiora sciremus de Urbano: si aequalis Donati erat, si paulo post docuit, si, cum prior esset, a Donato neglegebatur, ne hoc quidem absonum est. Iam Servius, ut vidimus, Donatum adhibuit; cf. Thilon. p. LXXV 'a nullo autem superiorum commentatorum plura Servius petivit, quam ab Aelio Donato, quem ipse saepius, quam ceteros commemoravit atque ita quidem plerumque, ut sententias eius refutaret' et Laemmerhirtium, praecipue p. 392/93. Cum sic Donatiana convenirent, tria accidere necesse erat et acciderunt, quae Barwickius, cum de ratione coniunctorum commentariorum ageret, fusius p. 124 ad 128 exposuit. Primum loci exstant, quibus et in Servio et in Servio Danielis eadem proferuntur: optimum

exemplum supra occurrit explicatio in Aen. VIII 333, ubi etiam lemmata servata sunt; item in Aen. X 145 et saepius; praeterea Thilonis in p. LXIV ann. 1 Donatum respiciens legas enuntiationem: 'accedit, quod hae adnotationes praeter eas, quas asterisco notavi, ita comparatae sunt, ut Servius ipse ex eis sua deprompsisse videri possit'. Deinde evenit, ut Servii verba remanerent: unde intelleguntur loci Servii Danielis, quibus ad interpretationem Servii relegari videris, ut in Aen. III 420 ad ecl. VI 74, quod Barwickius p. 118/19 casu fieri contendit, cuius etiam cf. p. 127. Tunc Servius Servio Danielis cessit: exempla Barwickius p. 125/26 affert, cuius totum locum huc pertinentem proponere e re est: Wenn hingegen das auf S folgende Scholion des DS sich aufs engste an S anschliesst und für sich kein Scholion ausmachen kann, so ist anzunehmen, dass ein Stück von DS, das inhaltlich dem vorausgehenden Serviusscholion entsprach, ausgefallen ist. Lehrreich sind in dieser Hinsicht die Bemerkungen des S und DS zu Aen. II 632, verglichen mit Macrob. Sat. III 8, 1 sqq. Offenbar haben hier Macrob, S und DS dieselbe Quelle benutzt; DS aber wieder viel ausgiebiger als S......... Optime hic Donatus quadrat. Cum Servius ex eo hauserit, ipse Donatus sive Servius Danielis cum Macrobio congruit, sive quia Macrobius Donatum adhibuit, sive eosdem fontes; nam et illum secutus et sua sponte idem scribendi consilium, quod Donatus in ep. ad Mun. confitetur, proferre potuit, quod legimus Sat. praef. 4 'et boni consulas oportet, si notitiam vetustatis modo nostris non obscure, modo ipsis antiquorum fideliter verbis recognoscas, prout quaeque se vel enarranda vel transferenda suggesserint'. Quin etiam Barwickius pergit: So konnte das Serviusscholion so passend durch DS ergänzt werden, dass man in den zusammengeschobenen Bemerkungen verschiedener Scholiasten das Scholion eines Kommentars zu erkennen glaubt. Indes ist öfters auch von einem Serviusscholion ein Stück ausgelassen, um einen besseren Anschluss an DS zu gewinnen; vgl. zu Aen. I 437, 650. II 21. III 128, 351. IV 416. X 31, 192, 384.

Ut summam faciamus, forma commentarii Servii plenioris, qui nunc exstat, adeo non impedimur, quominus eo commentarii Donatiani reliquias contineri credamus, ut adiuvemur quam maxime. — Unde commentario Donati ascribimus quaecunque apud scholiastam Danielis legimus non postea addita atque verba Servii, ubi aut cum Servio Danielis congruunt aut sic cum eo coniuncta sunt, ut in eo similia fuisse appareat. Hic quoque loci Hieronymi summi momenti fuerunt.

[Reliqua huius dissertationis pars edetur Comment. Ien. tom. IX 2.]

Vita.

Natus sum Fridericus Lammert a. d. IV. Idus Maias anni 1890 Sondershusis patre Friderico matre Caecilia e gente Boehme. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in seminarii Sondershusani schola institutus anno 1899 gymnasio patriae, quod tum Antonio Funck moderante florebat, traditus sum; unde maturitatis testimonio instructus vere 1908 philosophicis studiis operam daturus Ienam me contuli. Ibi bis sex menses moratus Heidelbergam transmigravi, ubi disserentes audivi vv. dd. Bartholomae, Boll, Braune, O. Cartellieri, de Duhn, Gerhard, Hampe, Oncken, Peltzer, Schneegans, Schoell, Staehlin, Thode. Seminarii philologici sodalem me esse per tria semestria ordinarium, tertio seniorem Boll et Schoell, linguistici per sex menses Bartholomae benigne concesserunt. Exercitationibus interfui francogallicis Schneegansii et historicis Staehlinii per bis sex menses, per sex menses Bartholomaei sanscriticis. Autumno anni 1910 Ienam redii, ubi disserentes audivi vv. dd. Bauch, Cappeller, A. Cartellieri, Delbrueck, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Iudeich, Keutgen, Leitzmann, Liebenam, Lietzmann, Meyer-Steineg, Michels, Staerk, Stoy, Weinel. Philologici proseminarii sodalem per sex menses Diehl, inferioris partis seminarii sodalem ordinarium per sex menses Diehl et Hirzel, superioris sodalem extraordinarium per bis sex menses Goetz et Hirzel benigne me receperunt. Exercitationum particeps fui archaeologicarum Graefii per sex menses, germanistici proseminarii Leitzmanni atque Michelsii per bis sex menses, islandicarum Delbrueckii per sex menses, historicorum seminariorum Alexandri Cartellieri et Keutgeni per sex menses, Iudeichii per tria semestria, sanscriticarum Cappelleri per duo. Praeceptoribus meis omnibus venerabilibus gratiam semper habebo quam maximam.

A. d. IV. Non. Febr. pater carissimus decessit paucis diebus postquam ei hanc dissertationem obtuli, qui me semper auxilio, consilio, exemplo ita adiuvit, ut quaecunque assequar debiturus sim patri.